

# OBSERVATIONES

**BIBLICO - GEOLOGICAE**


IN

**HISTORIAM CREATIONIS MOSAICAM.**


SCRIPSIT

**STEPHANUS KOCLANČIČ.**

(Extr. ex Folio Period. Archidioec. Gorit. an. 1875.)



GORITIAE  
Typis Mailing ed.  
1875.



HIS

(Ex

# OBSERVATIONES

## BIBLICO - GEOLOGICAE

IN

HISTORIAM CREATIONIS MOSAICAM.

SCRIPSIT

STEPHANUS KOCIANČIČ.

(Extr. ex Folio Period. Archidioec. Gorit. an. 1875.)



GORITIAE  
Typis Mailing ed.



UNIVERSITÄT  
LJUBLJANA

INSTITUT ZA  
HISTORIOGRAFIJO  
IN ETNOGRAFIJO  
ZNAKOVNA ZBIRKA

9. 08. 2005.



N 2005 13516



## Præfatio.

---

*Jam anno 1871. in Folio dioecetano Ter-  
gestino argumentum tractabam, cui titulum:  
De Historia Creationis Mosaica, præmiseram.  
Idem argumentum præsens opusculum com-  
plectitur, ita ut altera sed multum aucta ejus-  
dem editio vocari possit. Unde verba, quæ  
præfationis loco illi tractatiunculae præmissa  
sunt, isti quoque opellae conveniunt, nimirum:*

*„Inimicus veritatis omni tempore homines  
in errorem ducere conatur. Antiquitus a cultu  
unius veri Dei aversos, ad plurium deorum  
inanem cultum agebat. Christo, Dei Unigenito  
contradicens, modo negabat Ejus divinitatem,  
modo incarnationis mysterio suos pestiferos op-  
ponebat errores ac multiplices fallacias. Spi-  
ritui Sancto debitum honorem minuebat, susci-  
tando pneumatomachorum insaniam. Neque Im-  
maculatae Dei Genitricis pepercit Virginitati,  
neque baptismi unitatem admittebat. Quid mul-  
tum? Omnes et singulos nostrae fidei articulos  
convellere admissus est, neque unquam pacem  
concessit miseris mortalibus. Non mirum ita-  
que, si hac nostra aetate denuo omnes vires*

*intendat, ad hominum fidem omnino subruendam evertendamque, specioso sub praetextu scientiae et profectus in omni re scibili! Et revera multos ita capit incautos, praecipue quum ferme omnia periodica scripta et ephemerides, novum erroris et fallaciae evangelium praedicent; immo in scholis inferioribus et superioribus suos habet cooperatores et promotores. Sunt vero imprimis scientiae naturales, quibus utitur, immo abutitur spiritus mendacii, ad fidem in Verbum Dei scriptum e cordibus hominum convellendam. Huic malo ut succurreretur, nostra aetate plura a catholicis viris conscripta et edita sunt opera.“*

*Quum vero ista opera non in omnium manibus inveniantur, praecipua capita quaestionum in breve compendium redacta, atque in nostro „Folio Periodico“ publicata, majoris commoditatis causa in hocce libello reproducere volui.*

*Scribebam die 20. Augusti 1875.*



# Observationes biblico-geologicae.

## Introductio.

### I.

Inde ab initio hujus saeculi, praecipue vero his ultimis temporibus multum disputatum fuit, et disputatur circa id, quod S. Scriptura in suis primis capitibus de origine mundi et generis humani refert. Agitur in hisce quaestionibus de rebus maximi momenti, agitur de fundamentis fidei nostrae.

Biblia semper in ecclesia Christi credebantur opus divinum, et id, quod continent, indubitate verum. Interim novae disciplinae, cosmogonia, geologia, palaeontologia etc. singulari diligentia cultae *videntur* aliquando et in aliquibus rebus aliud docere, quam S. Scriptura.

Non respicere ad novae hujus scientiae placita, simpliciter sequi doctrinam et narrationem Sacrae Scripturae, potest forsitan sufficere Christiano cuicumque in genere, non vero theologo, neque illi in specie, qui eruditi no-



men et hominis culti ambit. Oportet enim, ut omnia scibilia, quantum fieri potest, eo magis respiciat, quo propius illud *unum necessarium* attingunt, illisque utatur tum ad sui ipsius instructionem, tum ad aliorum confirmationem in fide. Cuvier, Ampère, Marcel de Serres, aliique asserunt, scientias naturales insigniter confirmare Mosaicam de origine mundi relationem; e contra adversariorum in dies numero crescens caterva plenis buccis mundo stupenti annunciat, Bibliorum effata, in primis ubi de creatione mundi et hominis loquuntur, conciliari non posse cum scientiae naturalis doctrinis. Necessarium itaque est, ut theologi ad minimum contentur demonstrare, istam irreconciliabilitatem (sit venia verbo!) inter theologiam, id est, proprie biblicam narrationem, et inter naturales scientias non dari, neque dari posse.

Quum nostra aetate quaestiones istae vix non ab omnibus tractentur, omnes de rerum visibilibus principiis, origine, evolutionibus scribant et loquantur, et quidem ut plurimum Bibliis contrarias sententias et opiniones sequantur, ita ut vel ipsi ludimagistri infidelitatis et incredulitatis venenum alii manifestius, alii occultius christianaee juventuti in scholis instillare soleant, quumque vix detur periodicum scriptum sive ephemeris, in quibus saltem aliquando hujusmodi quaestiones non tangantur: sacerdotes, inprimis animarum curatores omnino jejuni in

his esse non debent, sed pro muro esse in domo Dei, et eatenus saltem harum quaestionum cognitionem habere, ut ad communiores objectiones debite respondere valeant.

„Istud a quolibet sacerdote potest et debet exigi, ut haec studia non omnino negligat; ut clare cognoscat, quaenam resultata hujusmodi indagaciones jam dederint, et in qua relatione sint ad doctrinas revelatas, ut sciat . . . refellere objectiones, quas moderni increduli frequentissime facere solent“  
(*Reusch. Bibel und Natur. Einleit.*)

Visum est mihi itaque, breviter pauca hic delibare, atque proponere, quae scientiae naturales de rerum physicarum historia statuunt, et simul ostendere, biblicam narrationem cum iis, quae scientia docet, in nulla contradictione esse, nec esse posse.

Scripti de his jam ante annos, atque in Folio dioecetano Tergestino anno 1871. sub titulo „*de historia creationis Mosaica*“ illa publicavi. Nunc partim eadem, partim nova, iterum evulgare non dubito, tum quia dictum Folium paucissimis e nostro Clero notum est, tum quia etiam illis, qui illud possident, non pauca forsitan etiam nova suppeditabit, quae scitu sunt necessaria.

Qui in hac re plura legere desiderat, pleneque instrui, auctores ipsos, qui hanc quaestionem ex professo tractarunt, adeat, et quibus praecipuos hic, praeter illos, quos in



decursu hujus tractatus allegabo, benevolo lectori nomino. Sunt vero:

Die Kosmogonie des Moses im Vergleiche mit den geologischen Thatsachen, von *Marcelle de Serres*. Aus dem Französischen von Fr. H. Steck. Tübingen 1841.

Cosmogonia naturale comparata col Genesi del P. Giovan Battista *Pianciani* della Comp. di Gesù. Roma 1862. *Prius opus hoc latine ediderat sub titulo: In historiam creationis Mosaicam commentatio*. Neapoli 1851.

*Istud opus deinde in germanicum idioma translatum:*

*Pianciani* J. B. Erläuterungen zur Mosaïschen Schöpfungsgeschichte. Aus dem Lateinischen übersetzt von Dr. Fr. Schöttl. Regensburg 1853.

*Westermayer*. Das alte Testament und seine Bedeutung. Schaffhausen 1861. vier Bände.

*Bosizio*\*) P. Athan. Das Hexaëmeron und die Geologie. Mainz 1865.

*Baltzer*. Die biblische Schöpfungsgeschichte. Leipzig 1867, zwei Bände.

*Reusch*. Bibel und Natur. 3.te umgearbeitete Aufl. Freiburg im Br. 1870.

---

\*) Auctor iste origine Goritiensis, aliquando professor theologiae dogmaticae in hujate Seminario centrali Goritiensi.



*Veith.* Die Anfänge der Menschenwelt. Apologetische Vorträge über Genesis I—XI. Wien 1865.

*Wiseman.* Zusammenhang zwischen Wissenschaft und Offenbarung. Zwölf Vorträge. In deutscher Uebersetzung. Regensburg 1856.

*Marenzi.* Zwölf Fragmente über Geologie oder Beleuchtung dieser Wissenschaft nach den Grundsätzen der Astronomie und der Physik. 2.te Aufl. Triest 1864.

*Marenzi.* Das Alter der Erde. Ein geologisches Fragment. Triest. 1865.

*Hettinger.* Apologie des Christenthums. Freiburg im Br. 1867. 3 Bände.

*Vosen.* Der Katholicismus und die Einsprüche seiner Gegner, dargestellt für jeden Gebildeten. Freiburg im Br. 1865.

Hi omnes, una cum plurimis aliis, lectu digni libri sunt, atque idem, quod nos, defendunt, nihil huc usque scientias naturales evicisse, quod biblicae relationi de mundi origine contradiceret. \*)

---

\*) Qui omnes auctores, qui de ista materia tractarunt, cognoscere desiderat, adeat dicti *Reusch, Bibel und Natur*, editionem tertiam, in qua a pag. 510. usque ad pag. 518. enumerantur scriptores sat multi, etsi non omnes, attamen majores et praeter ceteris memorandi.

## II.

Ante omnia praemittendum est, sacram Scripturam divinitus inspiratam, quod et Judaei, et Christiani, tum orthodoxi, tum heterodoxi semper firmiter crediderunt, et credunt, nec nisi a modernis incredulis in dubium revocatur, omnem fidem mereri; est enim verbum Dei infallibile. Moses pentateuchum ita conscripsit, ut a sancto Spiritu mente illustratus nullibi erraverit, ubique simplicem veritatem docuerit, sive quum facta historica narrat, sive quum divinas refert revelationes. Itaque firma fide credendum est, omnino vera esse, quae de mundi origine et de hominis creatione, atque de omnium hominum origine, ab Adam repetenda docet.

Et quod creationis historiam in specie attinet, illam omnino a Deo ipso sive Mosi, sive, quod multo probabilius est, mox primis hominibus revelatam credere debemus. Tunc enim homo nondum aderat, quum sex dierum creationis opera fierent, quia homo sub finem demum sextae diei creatus fuit.

Hanc a Deo hominibus revelatam historiam creationis Moses inspiratus litteris consignavit, ita ut ista ejus relatio omnino verax dicenda sit.

Ex altera parte vero Deus revelat se etiam per res creatas. *Coeli enarrant gloriam*



*Dei, et opera manuum ejus annunciat fir-  
mentum . . . Non sunt loquelae, neque ser-  
mones, quorum non audiantur voces eorum*“  
(Ps. XVIII, 2. seq.) Idem docet Novum Foe-  
dus (Cfr. Rom. I. coll. cum Sap. XIII.)

Si itaque Deus et per Scripturam, et per naturam ad hominem loquitur, non potest id, quod Scriptura docet, in ulla contradictione esse cum eo, quod docet natura. „Si nobis persuasum est, ait Wiseman, Deum esse auctorem et religionis nostrae et naturae, omnino persuasum nobis esse etiam debet, comparisonem operum ejus in utroque ordine ad eadem omnino consecutaria nos perducere debere.“ Sapientissimus et omnipotens Deus non potuit revelare quidquam, cujus falsitatem aliquando scientiae naturales demonstrare possint\*); sed neque natura hominem docere quidquam potest, quod repugnet divinae revelationi. Unde Kurtz (Bibel und Astronomie): „Biblia et natura, ait, in quantum utraque verbum Dei est, debent concordare. Ubi hoc locum habere non videtur, ibi aut theologi exegesis, aut vero exegesis naturae indagatoris falsa est.“

Hoc axioma necesse est, ut firmiter teneamus. Sacra Scriptura errare non potest, est enim divinitus inspirata; etiam natura

---

\*) Geology in its relation to revealed religion by C. B.



nullum errorem docet nos, a Deo enim facta est. Et quod Scriptura docet, verum est, et quod natura. *Sed homo potest errare*, qui vel Scripturam non bene intelligit, vel naturam non satis penetrat. Quando itaque contradictio observatur inter Scripturae effata, et inter certam scientiae doctrinam, *adparens* tantum contradictio est, quae non in objecto, sed in subjecto suam causam habet. Attamen inter ea, quae scientia ut plene certa tradit, et ea, quae sana exegesis e Bibliis profert, neque enantiophaniae de facili ostendi possunt.

### III.

Sutor ne ultra crepidam, adagium tritum est. Neque theologus in scientiis naturalibus, neque naturae indagator in theologia vocem decisivam habet. Unusquisque intra fines suos contineat se oportet.

Supernaturalis divina revelatio non intendit unquam ditare prophanam nostram scientiam; ideo etiam s. Scriptura neque astronomiam, neque geologiam, aliasve hujusmodi scientias docet.

Ideo dicit Petrus Lombardus (dist. 23.): *Hanc scientiam, nimirum rerum naturalium, homo peccando non perdidit, nec illam, qua carnis necessaria providerentur. Et idcirco in Scriptura homo de hujusmodi non eruditur, sed de scientia animae, quam peccando amisit.*

Frustra itaque laboraret, imo reprehendi mereretur, qui e Bibliis systema astronomicum, geologicum etc. eruere et construere conaretur. Biblia enim systema doctrinarum fidei et morum nobis suppeditant; alias doctrinas aliunde petere debemus. Scriptura *directe* tantummodo veritates religiosas docet, *indirecte* tamen res quoque naturales tangit.

Loquens vero Scriptura de rebus naturalibus, non ita loquitur, ut requirit exacta scientia, sed eo modo, quo res vulgo homini apparent.

Si itaque Moses in historia creationis solem et lunam *duo luminaria magna* appellat (Gen. I, 16.), nemo inde concludere et dicere potest, solem esse maximum inter coelestia corpora, et lunam inter ea quoad molem tenere secundum locum.

Unde et S. Hieronymus (in Jer. 28, 10. 11.): *Multa, ait, in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat.* Et s. Thomas Aquinas (1.a 2.dae 9. 98. a. 3. ad 2.): *Secundum opinionem populi loquitur Scriptura.*

Necesse est ideo omnino, ut in legenda et interpretanda S. Scriptura accurate distinguamus inter illa, quae *ad substantiam fidei* pertinent, et inter illa quae *non per se, sed per accidens*, ut idem Angelicus loquitur, *ad fidem* spectant. Sic v. c. in historia creatio-



nis, Deum in principio creasse coelum et terram, et e nihilo produxisse, proprie ad fidei dogmata pertinet. Qualis vero fuerit hic mundus in primo illo creationis momento, qua ratione et quo ordine mundus ad istam perfectionem, quam modo habet, pervenerit, magis per accidens ad fidem se habet. In stricte dogmaticis et *sensus ecclesiae*, et *unanimes consensus Patrum* viam nobis ostendit, a qua discedere viro catholico nullatenus licet. In ceteris scientiae et propriis indagationibus campus liberior relinquitur.

Quod attinet itaque theologiam, relate ad scientias naturales sequentia observanda sunt:

1. Scriptura veritates religiosas nobis tradit; has accipimus ita, sicuti in Bibliis proponuntur; in hac re, id est, *in rebus fidei et morum*, ecclesiae sensus, et unanimis consensus Patrum, norma unice sequenda est.
2. Scriptura non docet scientias naturales, neque intendit nos erudire in rebus ad prophanas scientias pertinentes.
3. Scriptura loquitur de eventibus, phaenomenis et legibus naturae, sicuti solent hominibus externe adparere; non loquitur itaque de ipsis ita praecise, ut scientia requirit, sed ita, ut quilibet facile intelligat.



4. In creationis historia et fidei dogmata, et naturae phaenomena memorantur. Quoad fidei dogmata, sequenda est regula nro. 1. posita. Quoad naturales terrae evolutiones, scientiis plurimum deferimus.
5. Persuasum enim nobis est, secundum ea, quae sub II. dicta fuerunt, fore ut et Scripturae exegesis et scientiae naturales, indagacionibus ex utraque parte diligenter continuatis, tandem mire consentiant.

## IV.

Indagatores rerum naturalium, astronomi, geologi etc. hoc sibi propositum habent, uti Humboldt (Kosmos I. p. 11.) dicit, ut phaenomena rerum naturalium visibilium, naturam nimirum ut unum totum examinent et cognoscant. Res istae externae et perceptibiles, istaque phaenomena ab eis observantur, ordinantur, inter se conferuntur eo fine, ut in cognitionem legum perveniant, quae ipsis insunt, et secundum quas natura semper operatur. Invenire istas leges dicit Humboldt „ultimum finem humanae indagacionis in his empiricis scientiis,“ et „physicam mundi descriptionem“ nominat „considerationem phaenomenorum, ab empiria exhibitorum, sub ratione unius physeos“ (Ibid. 31. 32).

Et vere dici potest, scientias hasce nostro saeculo ingentes fecisse progressus. At-

tamen nemo dicere potest, eas esse jam plene et perfecte evolutas. Nam neque omnia adhuc naturae phaenomena nota sunt. Tres quintas partes superficiei orbis nostri terraeque aquae occupant; duae quintae tantum partes hominum oculis patent. Et de his duabus quintis terrae partibus pauca adhuc diligenter examinata sunt, videlicet magna pars Francogalliae, Germaniae, Angliae, partes Hispaniae, Italiae et Russiae; sed de maxima parte Africae, si excipias australem regionem, fere nihil scimus; notae sunt exiguae partes Indiae, sed de reliqua Asia iterum nihil; ita America septemtrionalis ex parte cognita est, tota America meridionalis est pro geologia quasi terra incognita. Quum res ita se habeat, dicendum, quod tantum decies millesima pars terrae, quatenus indagationibus nostris accessibilis est, hucusque debite sit examinata. (Huxley. Ueber unsere Kenntniss etc.) Ignota porro est tota superficies terrae, quam maria tegunt, nec non terrae interiora. Unde Humboldt: „Quis certos nos reddere potest, ait, vel numerum virium, in universo agentium, nobis jam notum esse?“ (Kosmos, I, 31.)

Liber naturae magna ex parte dicendus est adhuc liber signatus, et quantoscumque progressus scientia hic fecerit, adhuc quamplurima restabunt incognita, ergo adhuc indaganda.

*Geologia*; (sic enim appellatur ramus



scientiarum naturalium, qui nos nunc occupat) non tantum praesentem terrae conditionem considerat, sed conatur etiam cognoscere, qualis fuerit terra inde a prima sua origine per decursum temporum. Quum enim semper eadem naturae vires et leges operatae sint, ex harum operositate moderna probabiliter concluditur, qualis terrae facies esse poterat saeculis elapsis. Si ergo nostra cognitio praesentis status terrae nostrae tam imperfecta est, ut vidimus, geologia hoc suum problema plene solvere nullatenus potest. In quam plurimis casibus tantum *hypotheses* statuere potest, omnimodam *certitudinem* habere raro potest. Sed ubi geologia ad certitudinem pervenit, ibi *perfecte consonat* effatis Scripturae sacrae. Hoc nos confirmat in assertione nostra: Non aliud doceri a Scriptura, et aliud a natura. Quando hypotheses, quae Mosaicae relationi contrariae esse videntur, certae cognitioni cesserint, etiam antilogiae hujusmodi omnes disparebunt et evanescent.

Faciat vero geologia progressus quales et quantoscumque, ad quaestiones: Unde venit materia in prima sua origine? Semperne materia exstitit, aut quis eam produxit? An leges naturae semper aderant? unde trahunt suam originem? numquam respondebit. Istae quaestiones sunt pro geologo *extra artem*. Pulchre ad rem *Schleiden* (der Materialismus, S. 52.): „Prima regula, ait, pro

„exacto naturae indagatore haec est, ut de  
 „rebus, quae ad ejus sphaeram studiorum non  
 „pertinent, taceat, neque eas affirmando, neque  
 „negando. Spiritus autem, liberum arbitrium,  
 „Deus, et quae sunt istiusmodi, non spectant  
 „ad sphaeram naturae indagatoris: ut quid er-  
 „go loquitur de illis? Sive haec affirmet, sive  
 „neget, in utroque casu aequè inconsequenter  
 „et confuse agit. Si naturae indagator autem  
 „de his rebus *qua homo* loquitur, tunc recor-  
 „detur, alteram esse regulam pro exacto na-  
 „turae indagatore, ut numquam de rebus ju-  
 „dicet et sententiam ferat, antequam res ip-  
 „sas perfecte noverit; recordetur, ad iudicium  
 „ferendum in rebus astronomicis necessariam  
 „esse astronomiae cognitionem, chemiae in  
 „rebus chemicis, et ita quoque in rebus phi-  
 „losophicis i. e. ad ferendam sententiam de  
 „ideis memoratis, necesse esse, ut homo phi-  
 „losophiam perfecte calleat; qui aliter agit,  
 „ridiculus fit.“

Quaestionem de prima origine rerum non  
 pertinere ad sphaeram geologicarum indaga-  
 tionum, cordati geologi ipsi fatentur. „Scopus  
 geologiae non potest esse,“ (ait G. Bischof.  
 Lehrbuch der chem. und phys. Geologie),  
 „inquirere in causam, quae rerum existentiam  
 „praecedit. Geologus considerat terram, qua-  
 „lis est, nec quaerit, quo modo existere coe-  
 „perit.“ Et O. Fraas (Vor der Sündfluth S.  
 VIII.): „De prima origine geologia nil aliud,



„nec melius quid dicere valet, quam id, quod  
 „omnes scimus: In principio creavit Deus coe-  
 „lum et terram.“

De Dei existentia, de anima hominis, de creatione universorum e nihilo, et quae his sunt similia, philosophia et theologia, non vero geologia, aliave scientia naturalis ex professo loquitur. Quum itaque geologi de hujusmodi quaestionibus sententiam dicere attemptant, applicandum illis est tritum illud: Sutor, ne ultra crepidam.

## V.

Nulla modo timendum est religioni et fidei ob scientiarum naturalium culturam et progressum. Portae enim inferi non praevalent unquam. Scientia Deum creatorem, et primum principium omnium omnino negare non potest. „Ipse se fallit, inquit „Kurtz (loc. cit.) naturae indagator, qui sibi „imaginatur, aut etiam aliis persuadere conatur, studia sua empirica ad hanc conclusionem eum perduxisse, ut neget biblicam doctrinam de mundi creatione; non empiria hic „in culpa est, sed speculatio.“ Si Lalande dicit: „Coelum universum perscrutatus sum, „sed Deum nullibi inveni,“ non habet Astronomia ullam culpam; non enim scientia homines ad tales paradoxas sententias effutendas cogit, sed falsa speculatio circumvagans

in sphaeris alienis. Fides et scientia amice se habent ad invicem, et non sibi contradicunt. Quum videtur scientia fidei (religioni) contradicere, evenit hoc non ex scientifica exactitudine, sed ex defectu exactitudinis. Non pugnat scientia cum religione, sed ignorantia, et scientiae defectus (*Deutinger. Renan und das Wunder. S. 58 54.*) Hoc valet de omni scientia, hoc valet etiam de geologia, astronomia etc. Possumus firma fide credere biblicam historiam creationis, prouti eam narrat Moses, et nihilominus sine timore ullo admittere omnes *certas* geologiae doctrinas.

Scientiam religioni non repugnare, ipsum factum testatur; eruditissimi viri enim fuerunt etiam vere religiosi, et boni christiani, uti Copernicus, Newtonius, Kepplerus, Eulerus etc. etc. ut omittam tot insignes eruditos apud omnes nationes, qui hac nostra aetate adhuc vivunt. Notissima enim sunt Baconis Verulamii verba: *Leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere. Nec non: Verum est, parum philosophiae naturalis homines inclinare in atheismum, at altiorrem scientiam eos ad religionem circumagere. Porro: Deum non esse non credit, nisi cui Deum non esse expedit.*



## VI.

Sacra Scriptura veritates religiosas docere nos gestit. Si itaque Moses in creationis historia praeter illa verba: *In principio creavit Deus coelum et terram*, plura adhuc adjicit, haec quoque aliquid nos docent, quod intime cum religione nostra connexum est, quod scilicet ad fidem et religiosam hominis instructionem referatur necesse est. Et profecto sufficit, ut attente percurramus caput primum Geneseos, ut momenta religiosa in eo contenta nobis in oculos insiliant. Et quidem:

1. Sententia: *In principio creavit Deus coelum et terram*, egregie declaratur et illustratur illis, quae in eodem capite narrantur; cognoscimus enim, quid sub *coelo*, quid sub *terra* intelligere debeamus. Videmus enim *coelum* sole, luna, stellis ornatum, nubibus tegi, e quibus imbres descendentes terram humectant. Deus itaque docet nos, a Deo hoc firmamentum formatum esse, et istas aquas, quae in pluvias resolutae in terram descendunt, a Deo in alto locatas ad hoc idem, ut nobis inserviant. Deum illum esse, qui duo luminaria magna in coelo collocavit cum ceteris astris, ut luceant super terram, et ad temporum divisionem hominibus serviant. In *terra* videmus et aridam et maria; terram

herbis, plantisque ornatam atque arboribus; aërem videmus volatilibus plenum, terram et aquas plenas omnis generis animantibus. E Mosis relatione edocemur, Deum jussu suo aridam terram vegetabilibus vestivisse, ab ipso quoque omnia animalia producta esse. Ipsum quoque hominem a Deo creatum docet. Et quia et vegetabilibus tribuit habere semen in semetipsis, et animalibus atque hominibus sui similia procreandi facultatem dedit, ergo et Flora, et Fauna, quae nunc est, ab illa primitiva descendit, et homines qui nunc vivunt, a primis illis hominibus originem ducant necesse est. Moses itaque omnia ista specificando docet nos rem, et veritatem maximi momenti, nimirum et mineralia, et plantas, et animalia, sicut et homines ipsos creaturas esse Dei creatoris benignissimi.

2. Moses in historia creationis saepius repetit illa verba: *et vidit Deus, quod esset bonum*, hoc est, illud, quod creando produxit, esse omnino et ad amussim tale, quale Deus habere voluit, sive respondere perfecte illius ideae et voluntati divinae. Sic *vidit Deus lucem, quod esset bona*, non vero *tenebras*, quae non sunt ullum ens, sed tantum negatio lucis. Secunda die formavit Deus firmamentum et separavit aquas superiores ab inferioribus; sed in fine hujus secundae diei non adjunxit Moses: *et vidit Deus, quod esset bonum*, quia opus secundae diei creationis



nondum sistit perfectam aquarum separationem et divisionem, quae demum die tertia facta est, unde et ibi tandem iterum observat: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Et postquam in singulis Dei operibus creationis plene absolutis ista observatio adjecta fuit, omnino conveniens erat, ut tota creatione perfecta diceretur: *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona:* ut videlicet non tantum singula in se considerata fini, ad quem facta erant, perfecte responderint, sed etiam considerata in sua relatione ad totam creationem. — Hoc modo vero simul indirecte docuit nos Moses, quum mox postea in tertio et sequentibus capitibus plura memorat, quae minus bona erant, haec aliunde, et non a Deo esse; ab initio enim Deus omnia fecit *bona*. Ergo, quae mala sunt, facta sunt aliunde talia.

3. Homo narratur ultimo loco creatus, animalia vero ante hominem, quibus vero homo dominari debeat. Similiter ante animalia producta erant vegetabilia, ut essent et animantibus, et homini ipsi in cibum. Ipsa corpora coelestia, sol, luna et stellae propter hominem facta dicuntur, ut et eis luceant, et in temporum distinctionem inserviant. Tota creationis historia ita disposita apparet, ut omnia ad hominem referantur, neque de alio, quam de hominis relationibus tum ad Deum, tum ad res creatas loquitur, et ostendit, universam

irrationalem creaturam propter hominem adesse: ut homo omnibus his tanquam totidem gradibus ad Deum, suum ultimum finem ascendat.

4. Totam creationem in sex dies distribuit, nam septima die Deus dicitur cessasse ab omni opere suo et requievisse. Quae quidem ita intelligenda sunt, sicut S. Augustinus scribit: *Quia nihil additum est creaturae, requievisse dictus est ab omnibus operibus suis: quia vero, quod fecit, gubernare non cessat, recte dixit Dominus: Pater meus usque nunc operatur.* Quare sex diebus tota circumscribitur creatio? Rationem reddit versus tertius secundi capitis: *Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum.* Voluit enim jam mox ab initio mundi inculcare hominibus, septima die cessandum ab operibus, ut Deo debitus cultus exhibeatur.

Scriptura sacra itaque, ut diximus, religiosas veritates docet, et hae sunt sicuti ubique in toto Bibliorum volumine, ita etiam in primo Geneseos capite quaerendae et discendae, non vero cosmogonia, astronomia, geogonia et geologia; quae de his in Scriptura posita sunt, tamquam media inserviunt, ad religiosas veritates melius et facilius proponendas et intelligendas.

Quia omnia ad hominem tantum refert Scriptura, praemissa sententia, quod Deus coelum et terram creavit, jam de coelo nil



amplius adjicit, sed de sola terra loquitur; ideo improprie de *Cosmogonia* Mosis nonnulli loquuntur, quam melius *geogoniam* dicerent. Nihil enim in specie de astrorum formatione eorumque conditione, immo etiam nihil de internis terrae tradit nobis biblica historia, quum haec ad rem propositam nihil faciant.

Praeterea Scriptura, de primordiis mundi agens, simplicissime loquitur ita, ut quilibet etiam rudis homo verba ejus capere possit; neque utitur scientificis terminis, locutionibus, et distinctionibus, quia non solis eruditis destinatur, sed captui omnium sese accommodat.

His observationibus praemissis jam ad exponenda ipsa Scripturae verba accedimus.

## VII.

*In principio creavit Deus coelum et terram.*

Ita Moses historiam orditur creationis. *In principio* i. e. temporis. Cum creatione rerum contingentium initium sumpsit tempus, nam antea aeternitas erat. De temporis principio vero non tantum ratio suadet hic esse cogitandum, sed etiam concilium Lateranense IV. a 1215. in quo Cap. 1. dicitur: *unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab*

**initio temporis** *utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et daemones alii a Deo quidem creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali, homo vero diaboli suggestionem peccavit. Sic quoque S. Ambrosius: In exordio mundi, ait, quando fieri coepit. Et S. Augustinus: In principio temporis..... Nullum posset esse praeteritum tempus, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur. (De Civ. Dei l. II. c. 6.)*

Minus convenienter *in principio* accipitur pro *in filio*, seu *per filium*, secundum illud, quod in evangelio Joannis VIII, 25. Jesus interrogatus a Judaeis: *Tu quis es?* respondit: *Principium, qui et loquor vobis.* Verum quidem est, quod *Verbo Domini* (Filio Dei) *coeli firmati sunt*, ut psalmista canit (Ps. XXXII, 6.); et *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est* (Joan. I, 3.), sed istud non hac phrasi *in principio* a Mose expressum fuit.

*Creavit Deus.* Verbum *bara*, quod scriptor hic adhibet, *semper*, praecipue in Kal, de divina tantum operatione in Scripturis occurrit, sive dicatur Deus e nihilo quid producere, sive ex jam existente materia efformare.



Verbum **bará** de illis, quae per omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt, adhiberi solet. Ait David Kimchi: **Bará** est transitus ex nihilo ad existentiam. Idem docet Maimonides. Hic, junctum voci *b'rešit* „in principio“, omnino creationem ex nihilo, ergo creationem vere talem exprimit. Testibus Jos. Arch. I. c. 4. Philone de opif. mundi (cfr. Prov. VIII, 22-28. Ecclei. XVI, 26. 2. Mach. VII, 20-29.) Hebraei locum semper de creatione ex nihilo accipiebant uti et omnes Ss. Patres. — Sed *e nihilo nihil fit*. Respondet S. Anselmus (Moral. c. IX): „Priusquam fierent universa, *erant in ratione summae Naturae*, quid aut qualia, aut quomodo futura essent. Quare cum ea, quae facta sunt, clarum sit nihil fuisse, antequam fierent, quantum ad hoc, qui non erant, quod nunc sunt, neque erat, ex quo fierent: *non tamen nihil erant*, quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent“.

*Deus*, in originali *elohim* nomen plurale est, ut dicunt *majestaticum* sive *excellenciae*, denotans proprie Ens maxima dignum veneratione. Atque sic quidem Hebraei intelligebant nomen istud, quum illud de Deo adhiberent, \*) et rem sibi cogitabant. Non reji-

---

\*) Nam vocabulum *elohim* etiam de iudicibus adhibebatur. Sic Exo. XXII, 8. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos*, i. e. ad iudi-

cio tamen, interpretando hoc nomen plurale, sententiam Ss. Patrum et Interpretum ecclesiasticorum, qui dicunt, scriptores sacros a Spiritu sancto doctos, plurale nomen Dei adhibuisse ad innuendum sanctissimae Trinitatis mysterium. Quum enim Hebraeis, ad idololatriam valde propensis, claris verbis et aperte mysterium hoc proponi non potuisset, ne scilicet tres Deos inde sibi confingerent, variis involucris et symbolis exhiberi debuit, ita quidem, ut perfectis fide et scientia hoc altissimum mysterium prorsus ignotum non esset, imperfectis vero et rudioribus omnis ansa

---

ces, Ps. LXXXI, 1. *Deus stetit in synagoga deorum*, (judicum), *in medio autem deos* (judices) *dijudicat*; et alibi. Quum enim *elohim* significet *venerandos*, patet etiam, quod hominibus titulus iste dari potuerit. Est vero linguae hebraicae istud proprium, ut hujusmodi pluralem adhibeant ad indicandam rei vel personae, de qua sermonem instituunt, excellentiam. Ita fratres Josephi patri referebant, dominum (hebr. *adonim*) durum esse Josephum Gen. XLII. „*Qualche cosa di simile, ait Pianciani ad hunc locum, abbiamo nelle nostre lingue, nelle quali il plurale Voi indica spesso una singular persona ed è segno di rispetto.*“ Ita adhibetur germanicum *Sie*; et Slovenus solet similiter loqui: *Gospod niso doma: oče so bolni* etc. Hoc ferme modo Moses hic loquitur: *Elohim* (plur.) *barà* (sing.), quasi diceret: Ens colendum et venerandum, quod appellatur Deus, creavit etc. De cetero *elohim* pluralitatem divinarum personarum, *barà* vero unitatem Dei denotare potest.



scandali demeretur. Quando enim Deus *elohim* dicebatur; quando Moses scripsit, Deum sic loquentem inducens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. I, 26.), vel: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (ib. III, 22.) quando psalmista cantabat: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Ps. XXXII, 6. ubi Verbum, Dominus, et Spiritus distincte ponuntur); vel: *Benedicat nos Deus* (Pater), *Deus noster* (i. e. Filius, qui noster per eminentiam dicitur propter assumptionem humanae naturae, in qua nos redemit), *Benedicat nos Deus* (scil. Spiritus sanctus) (Ps. LXVI. 7. 8.); porro quando Isaias propheta Seraphim *trisagion* cantantes memorat (Isa. VI, 3.) etc. etc. \*) certe Trinitatis mysterium antiquis Sanctis ante Salvatoris adventum prorsus ignotum et occultatum fuisse dici non potest. De cetero, exacte loquendo, veram esse sententiam concedemus istam: „Non potest dici: *Elohim* est *pluralis Trinitatis*; „omnino vero recte dicitur: *Trinitas est pluralitas nominis Elohim* in novo testamento „manifestata.“ (Delitzsch. Genesis, S. 67.)

---

\*) Cfr. etiam Gen. XVIII, 2. Isa. XXXIV, 16. XLVIII, 16. LXI, 1. nec non omnia illa loca, in quibus Deus nominatur *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, et *Deus Jacob*. Imo et illud Jeremiae: *Et dixi: A, a, a, Domine Deus* (Jer. I, 6.) aliqui sic exponunt, ut triplex *a* hoc mysterium denotet.

## VIII.

*Coelum et terram*, id est, hoc universum, quod coelo et terra constare dicimus. Nulla re exclusa, Deus omnia, quae existunt, sua omnipotentia e nihilo produxit unico voluntatis suae actu. Coelum h. e. tam empyreum, ut schola loquitur, quam sidereum, et atmosphaereum, quae omnia uno vocabulo *coelum* comprehenduntur. *Terram* vero orbem nostrum terraqueum intelligimus.

Ergo phrasis *coelum et terra* omnino id exprimit, quod graecum *cosmos*, latinum *mundus*; neque id Moses aliter exprimere poterat, quum pro vocabulo *mundus* propriam vocem lingua hebraea non habeat. Ita S. Augustinus: *Assidue, inquit, quippe Scriptura his duabus partibus (coelum et terra) commemoratis universum mundum vult intelligi. Et iterum: Coeli et terrae nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus* (De Gen. contr. Man. I, 25.) Ita intelligenda sunt Ex. XXXI, 17. Deut. XXXII, 1. Isa. I, 2. etc. Atque iste modus rem accipiendi planissimus est et communis.

Non desunt tamen, qui *coelum et terram* hic intelligant creaturas visibiles et invisibiles, corporales et spirituales; sic *Westermayer, das alte Testament* I, 6. et *Baltzer, Schöpfungsgeschichte* S. 184. ff., ut itaque vocabu-



lum *terra* totam visibilem creationem denotet, *coelum* vero totam invisibilem creationem, imprimis Angelos. Provocant hujus sententiae patroni ad id, quod in symbolo dicitur: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium*, ubi istud: *visibilium omnium et invisibilium* adnexum esse ajunt, ut explicetur, quid significet: *factorem coeli et terrae*. Imo volunt, istam esse unice veram, et authenticam loci expositionem, quum, ut supra vidimus, concilium Lateranense IV. eodem modo sit locutum. Sed immerito. Concilium enim istud adversus Catharos et Valdenses, qui visibilem mundum non Dei creationem admittebant esse, sed a quodam malo principio productum, declaravit et definivit, Deum esse *unum universorum principium*, qui et corporealem et spiritualem mundum creavit. Non itaque ejus intentionis erat, sensum primi versus Geneseos definire, sed illum haeticorum errorem refellere. Ideo aliquot decenniis post illud Concilium et S. Thomas Aquinas docebat, versiculum Geneseos primum tantum de materialis mundi creatione loqui;\*) et theologi magnae notae, qui decretum Concilii Later. IV. omnino cognoscebant, uti Petavius, Suarezius, et alii, simpliciter asserebant, cre-

---

\*) Summa theol. I. q. 61. a. 1.; q. 65. a. 3. etc.

ationem Angelorum a Mose neque verbo memorari. Magisterium ergo ecclesiae nos hic non restringit, ut necessario cogitemus in isto loco de mundi invisibilis creatione. Pure exegetice tractantes locum nostrum, hoc tantum dicere debemus, totam visibilem creationem, mundum videlicet istum, a Deo creatum esse. Et S. Augustinus quidem angelorum creationem in primum creationis diem rejicit, quum secundum ejus mentem Angeli sub nomine *lucis* sint intelligendi.

Pianciani de cetero (in sua cosmogonia edit. germ. §. 82—88.) ait, nihil impedire, quominus pro certo credamus, angelos probabilissime eodem momento a Deo creatos fuisse, quo *in principio Deus creavit coelum et terram.*

#### IX.

Scriptura divina statim ab initio repellit errorem, tum antiquorum quorundam philosophorum et haereticorum, tum recentiorum materialistarum, qui materiam aeternam statuunt. Dicit enim: *In principio creavit Deus coelum et terram*; si Deus omnia creavit, ergo antequam crearentur, nondum erant; ergo materia aeterna dici non potest. Quam irrationabilis absurda sententia haec sit: *Materia est aeterna*, Pianciani in sua Cosmogonia comparata col Genesi pag. 55—63. et Cardinalis Gerdil (opere tom. IV. V. et X. ed. Rom.) egregie demonstrant.



Neque istam veritatem ullus geologus, astronomus, palaeontologus,\*) aut quocumque quis vocetur nomine, negare potest, qualescumque etiam hypotheses de primitiva statu-ant mundi nostri visibilis existentia. Quaestio de prima origine rerum omnium est physicis liber signatus, quem aperire et legere omnibus suis indaginibus omnino non valent; sed neque ad eorum indaginum sphaeram quaestio haec pertinet, ut jam supra inuimus.

Quando autem fuit istud *principium* temporis, quo Deus coelum et terram creavit? Secundum Scripturae verba (sic objiciunt) a creatione mundi usque ad Chr. adventum quater mille anni circiter numerantur, ita ut ad nos usque circiter sex millia annorum elapsa sint a creatione. Geologi vero, praesertim palaeontologi, atque astronomi non sex millia, im-

---

\*) Quid voces *geologus*, et *astronomus* significant, non facile quis ignorabit. *Palaeontologia* vero nomen est scientiae omnium recentissime natae, quae *fossilibus*, aliquando *petrefactis* dictis, occupatur. Sic quoque *craniologia* dicitur scientia vel ars, quae craniis humanis indagandis, examinandis, dimetiendis incumbit. *Geologia* porro dividitur in *geognosiam*, sive cognitionem singularum terrae partium; et in *geogoniam*, sive disciplinam, quae docet, quomodo singulae partes et totus terrae orbis fuerit efformatus. Geognosia se habet ad geologiam sicut anatomia ad medicam scientiam. Geognosia est pars historica, geogonia pars geologiae speculativa.

mo milliones annorum asserunt effluxisse a primo momento, quo coelum et terra existere coeperunt. Sed hujusmodi objectio nos minime movet. Sex circiter millia annorum, concedimus, a primi hominis creatione usque ad nostra haec tempora, secundum chronologiam biblicam elapsa sunt. Ast coelum et terra diu ante Adami creationem jam existebant. Quantum temporis sit elapsum a prima omnium rerum creatione usque ad Adami primi hominis creationem, quis valet determinare? Quamdiu chaos illud primitivum duraverit, antequam lux crearetur,\*) cum qua luce procreata, ut jam S. Augustinus vidit, prima coepit dies; cujus dimensionis fuerint illa temporum spatia, quae hexaëmeron constituunt creationis: quis est, qui possit nobis dicere? Si itaque, ut volunt, a creatione mundi hucusque revera plura centena millia annorum elabi debuerint, Scriptura divina, ut inferius adhuc consideraturi sumus, non reclamatur; non enim ullibi de-

---

\*) Hic forsitan plura saecula statuenda sunt. Sic auctor libri *de dogmatibus ecclesiasticis*, qui vulgo putatur Gennadius Massiliensis: *In principio, ait creavit Deus coelum et terram et aquam ex nihilo, et cum adhuc tenebrae ipsam aquam occultarent et aqua terram absconderet, facti sunt Angeli et omnes coelestes virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet.* In verbis *multa spatia* Suarez (de Ang. l. I. cap. 4. n. 4.) intelligit *multa saecula*.



terminat nobis temporis longitudinem a coeli procreatione et terrae, usque ad primi hominis creationem. Salva itaque Scripturae auctoritate etiam milliones annorum hic statui possunt, si qua scientia id exigere videatur.

## X.

Alia quaestio est haec: qualis fuit terra, et quale coelum primo creationis momento? Et hic libet ante omnia S. Augustini ponere sententiam, qui in suo opere de Genesi ad litteram ait, Deum pro sua omnipotentia *uno momento* protulisse coelum et terram in ea perfectione, quam deinde semper retinet. Et in hac quidem sententia confirmabatur illis verbis Ecclesiastici (XVIII, 1.): *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* (Sept. ἐκτίσεν τὰ πάντα κοινῆ), ubi vocabulum *simul* ita intelligebat, quod uno unico momento totum perfecit, praecipue quum alibi Scriptura expresse dicat: *Dei perfecta sunt opera* (Deut. XXXII, 4.), nec quidquam imperfectum e manibus Dei provenire conveniat. Secundum hanc sententiam coelum cum omni suo ornatu pulcherrimo, et terra omnino efformata et pulchre disposita atque talis, qualis nunc est, jam primo exstitit momento. Quomodo vero, posita hac sententia, sex creationis dies distinguere potuerint, infra videbimus, ubi de diebus hisce ipsis sermo erit.

Huic S. Augustini sententiae aliquatenus similis est sententia illorum, qui dicunt, coelum primo statim creationis momento perfecte dispositum et ornatum exstitisse, pariterque et terram statim fuisse perfectam, nec opus habuisse longiori tempore ad sui evolutionem et perfectionem. Immo usque ad hoc punctum eadem est cum Augustini sententia; toto coelo vero ab ejus sententia diversa evadit, quum inferunt: Versum primum Geneseos loqui de prima creatione, in qua terra, uti tunc erat, a sapientissimo creatore producta e nihilo, pulcherrima et perfecta quidem fuit, non tamen talis, qualis nunc est post sex dierum creationis opus, quia tunc terra aliam destinationem habuerat. Quum demum haec prima creatio interiisset, et in chaos esset redacta, quale versu secundo describitur; tunc ex hoc chao per sex creationis dies terra in illam formam redacta fuit, quam nunc habet, et quidem ideo, quia destinata erat, ut hominis habitatio fieret.

Scriptura huic singulari sententiae neque favet, neque contradicit. Falluntur vero omnes, qui asserunt et affirmant, hunc interpretandi modum *unice verum* esse; nos enim istud nullatenus concedere possumus. Quum enim 2.dus versus ita primo adnectatur: *Terra autem erat inanis et vacua* etc. ipsi legendum contendunt: Terra autem *facta erat* inanis et vacua etc. scil. quae prius perfecta, nunc facta



est inanis et vacua, sive conversa fuit in chaos. Originalis enim textus hic omnino exprimit *fuit* vel *erat*, non autem *facta erat*, ut omnes interpretes alicujus notae habent, et genius linguae hebraicae, atque constructio hic requirit.

Neque secundum argumentum, quod pro sua sententia afferre solent, firmissimum fundamentum habet. Dicunt enim: Quum dicit Moses: *In principio creavit Deus coelum et terram*, quomodo potest hoc esse verum, si tunc in creationis principio neque coelum adhuc erat, neque terra, sed *rudis indigestaque moles*, sive chaos, de quo secundus versus loquitur? Necessè est statui, primo statim momento *revera et coelum adfuisse, et terram.* — Sed his jam S. Augustinus respondit, scribendo: *Coelum et terra potuit dici materia, unde nondum erat factum coelum et terra, sed tamen non erat aliunde faciendum.*“ (De Genesi ad lit. contra Manich.)

Sed, ajunt, creatio chaotica Deo digna non est, nam *Dei perfecta sunt opera*; chaos vero non est perfectum opus. Chaos ergo illud praesupponit opus quoddam Dei perfectum a vi quadam adversa destructum. Etiam huic objectioni verbis S. Augustini respondeamus: *Quid autem inconveniens, si mundanae materiae fuerant tenebrosa primordia, ut accedente luce melius, quod factum est, redderetur? Nec mala putanda est (materia), quia*

*informis, sed bona est intelligenda, quia formabilis i. e. formationis capax.* (Contra advers. legis et proph. I, 8). Sic quoque S. Thomas Aquin.: *Si informitas, ait, tempore praecessit formationem materiae, non fuit hoc ex impotentia Dei, sed ex ejus sapientia, ut ordo servaretur in rerum conditione, dum ex imperfecto ad perfectum adducerentur.* (Prima, q. 66. a. 1. ad 1).

Instant: *thohu vabohu* textus originalis, pro quo Vulgata habet *inanis et vacua*, vastatam terram cultam et floridam significat. uti apparet ex Isa. XXXIV, 11. et Jer. IV. 23. ubi *thohu va boh* sic accipiendum est. Quum ergo hanc phrasin Moses in versu 2. de nostra terra adhibeat, cogitandum est, illam, quae antea perfecta erat, nunc destructam et in chaos redactam. — Verum *tertium comparationis*, ut dicere solemus, hic loci non consistit in eo, quod terrae conditio his verbis significata secuta sit conditionem meliorem anteriorem; sed in eo, quod e diametro opponatur terrae cultae.

Verum itaque manet, nulla Scripturae auctoritate nos cogi, ut primum Geneseos verbum ita intelligamus, quod in primo creationis momento coelum et terra jam plene perfecta exstiterint; quae prima creatio postea interierit, atque ex hoc chao efformatum fuisse demum hoc coelum, et hanc terram, uti nunc



sunt \*). Si autem non cogamur hoc sic intelligere, dicendum tamen, quod neque sententiae de prima et secunda creatione Scriptura contradicat, ut ergo ex parte exegeseos sententia admissibilis dici possit.

Hoc tamen dicere non possumus de altera hypothese, quae cum ista in nexu intimo est. Notum enim est, partem spirituum bonorum, quos Angelos vocamus, lapsos in peccatum, et in daemones fuisse conversos. Quando hoc factum sit, ignoramus, nisi quod ante hominis lapsum hoc evenerit; nam diabolus invidia incitatus felicitatis sortis Adami, eum ad peccatum perduxit. Theologi communiter opinantur, Angelorum lapsum non longe postquam creati fuerunt contigisse, certe ante finem sex dierum creationis, fors etiam ante istos sex dies. Dicunt ergo: Quando angeli, qui et in astris, et in terra illa primaeva tempore suae probationis habitationem habuerant, a Deo per superbiam defecerunt, statim hac eorum defectione primam illam creatio-

---

\*) Rabbi Abhu, a Maimonide citatus, ad principium Geneseos observavit: *Hinc habemus, quod Deus aedificavit mundos, et illos iterum destruxerit.* — Opus sex dierum renovationem tantum terrae fuisse prius existentis et destructae, opinati sunt praeter mox inferius nominandos etiam Bonnet Palingen. philos. et Gervais de Laprise, atque iste posterior simul assumebat, primae habitatores terrae angelos fuisse.

nem interiisse, et in chaos fuisse redactam, quale nobis secundus Geneseos versus describit. Ex quo demum chaos per sex creationis dies terram in illam formam fuisse redactam, quam nunc habet.

Speciosa sententia, si esset vera. Unde mirum non est, quam plurimos dari inter catholicos magni nominis eruditos, qui hanc tenent et sequuntur sententiam, uti sunt: Jacobus Böhme, Carolus v. Raumer, Andreas Wagner, Kurtz, Baumgarten, Drechsler, Delitzsh, et plures alii; inter catholicos vero non novimus nisi duos solos hujus sententiae sectatores, qui sunt D.r Antonius Westermayer, et Leopoldus Schmid. Dicenda est itaque magis sententia acatholicorum, quam virorum catholicorum. Et certe, neque Scriptura quidquam habet, neque Traditio quidquam suppeditat, quo ista sententia confirmari possit.

## XI,

Geologi vero et astronomi recentiores alii aliter sibi repraesentare solent primitivam coeli terraeque formam et conditionem. Celeberrima, et a plurimis acceptata est hypothesis Humboldti, quae statuit, et terram nostram, et omnia corpora coelestia initio in primis suis elementis, in forma vulgo dicta *Gas*, itaque calidissimam fuisse, immensum occupasse spatium, atque in continua fuisse



rotatione; progressu temporis magis magisque amisisse intensum calorem suum, paulatim refrigerentia semper magis fuisse condensata, ad minus spatium reducta et retracta, in plures sphaeras vel orbes divisa; inter quas, et quidem minores, tunc fuisse et terram nostram etiam tum ita calidam, ut in fluido esset statu, eamque post plura saecula, refrigeratione ejus sensim progrediente, formavisse firmam crustam; quae ad instar ovi gallinacei in media sui parte concludit primitivum intensissimum calorem, qui propter firmam externam crustam jam ultra deficere non potest, atque in isto intensissimo calore in centro seu meditullio orbis nostri terraquei omnia, ut a principio, in statu permanent liquido. (Cfr. *Humboldt. Kosmos. — Marenzi, Zwölf Fragmente*).

Alias aliorum de primitivo terrae nostrae statu\*) sententias et opiniones referre non libet. Quaero autem: Quid sentiendum de illa prima terrae conditione secundum verba Scripturae? An forsitan aliud Verbum Dei docet, aliud variae eruditorum istorum opiniones? *In principio*, Scriptura ait, *creavit Deus coelum et terram*, neque determinat, qualis illo primo creationis momento terra

---

\*) Ovid. *Metam.* I. canit:

Ante mare et quod tegit omnia coelum,  
Unus erat toto naturae vultus in orbe,  
Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles.

fuerit, quale coelum. Istud itaque determinandum relinquitur scientiae, si unquam scientia certi quid de ista re invenire et affirmare poterit.

Ne dicat vero quis: En, Humboldt et sequaces ejus aliter docent mundi originem, aliter Scriptura: Scriptura asserit, a Deo e nihilo creatum coelum et terram: Humboldt vero docet, e tenuissimis vaporibus, Gas dictis, exstitisse omnia corpora coelestia, ergo etiam nostram terram. Haec enim sibi minime contradicunt, dummodo velimus rem attente considerare. Nam hypothesis Humboldti non exponit, unde illud primitivum Gas venerit, unde intensissimus ille calor, aut quis illud moverit, ut continua rotatione ex eo tandem processerint tot innumerabiles sphaerae. Sed solum verbum Dei infallibile nos docere potest, et revera docet, Deum omnipotentem esse illum, qui unico voluntatis suae actu e nihilo creavit coelum et terram, h. e. secundum illam hypothesin, materiam illam primitivam, illud Gas, ex quo dein juxta leges et vires naturales, a creatore ipsi datas et insitas, coelum efformatum fuit et terra.

## XII.

Dixi: Scriptura non determinat, qualis illo primo creationis momento terra fuerit; sed, nonne versu secundo dicitur: *Terra autem*



*erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas?* — Ast S. Augustinus, ut ex supra dictis patet, rem non ita intellexit, ut pote quum secundum ejus sententiam Deus omnia uno momento perfecte disposita et ornata creaverit. Neque secundum Westermayeri sententiam iste secundus versus nobis terrae conditionem describit, quam statim in creatione habuit. Secundum ejus hypothesin enim iste chaoticus terrae status hic descriptus subintravit post angelorum lapsum. Tunc porro conjunctio *autem*, in originali hebraico simplex conjunctio *vav* (et), etiam simpliciter *et* esse debet, vel per *tunc* exprimenda est, quasi diceret: Terra a Deo procreata perfecta erat, sed postea turbata et dissipata per angelorum lapsum prima creatione, *erat terra inanis et vacua* etc. Et revera fatendum est, textum originalem hanc expositionem admittere, etsi non necessario ita debeat intelligi.

Moses itaque, haec narrans, dicit, terram, quae nunc apta est habitatio homini, ab initio talem non fuisse, quia erat *thohu va bohu*, id est, chaos; nam neque arida terra adhuc adparebat, quia sola aqua totum orbem tegebat, neque lux aderat, sed omnia densis tenebris involuta.

Nexus itaque inter primum et secundum versiculum, si attendamus Scripturae verba,

hic est: In principio creavit Deus coelum et terram; sed terra erat tunc adhuc inanis et vacua, sive chaos, et paulatim tantum ex hoc chao in formam modernam per varias evolutiones, de quibus sequentes agunt versus, reducta est.

Tandem secundum tertiam, id est, Humboldti hypothesin describitur in secundo versu Geneseos terrae nostrae status, qualis fuit, postquam massae quaedam vaporum primitivorum a communi ingenti massa separata, circa proprium axem jam rotabatur, qualis itaque fuit non statim post primitivae materiae creationem, sed post longius tempus, quod nulla humana computatio definire valet.

Sed consideremus attentius singula verba. Dicit ergo: *Terra autem erat inanis et vacua*, erat *thohu va boku*, quibus verbis, ut omnes consentiunt, status terrae chaoticus exprimitur. Alexandrina versio habet ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, id est, *invisibilis et incomposita*. Et recte dicitur *invisibilis*, tum, quia ut sequitur, *tenebrae erant super faciem abyssi*, neque lux adhuc producta erat, tum quia, etiamsi lux jam affulsisset, nil aliud conspici poterat, quam immensa abyssus aquarum omnia contegens. *Incomposita* vero dicitur, id est, non ornata; nam terrae ornamenta, uti sunt maria, lacus, flumina, montes, valles, plantae, animalia, etc. nondum aderant, neque in tali terrae statu adesse poterant.



*Abyssus*, id est, immensa aquarum copia omnia, h. e. totum orbem terraqueum circumdabat. Vel enim tota terra in fluido adhuc statu erat, quod fluidum nondum erat condensatum, atque ideo prae nimio calore adhuc fervebat; vel jam refrigerata erat crusta, circumdata vero et tecta circumquaque nimia aqua, ita ut nihil terrae ex ea eminuerit. Vel, prouti *Pianciani* in sua cosmogonia supponit, terra nostra etiam tum in suis primis elementis existens, et nondum a reliquis coeli astris separata, unum totum immensum chaos erat, hocque chaos dictum sit illa impenetrabilis abyssus.

Quamdiu iste status terrae duraverit, Scriptura non dicit. Si itaque scientiarum naturalium cultores, geologi, astronomi, palaeontologi, aliive multa, etiam centena millia annorum requirant, quae a creatione mundi elapsa sint, facile eis hoc concedimus, quin inde auctoritati et veracitati Scripturae quidquam derogetur.

Descriptio status chaotici terrae, qualem nobis hic loci Moses dat, est mere negativa, quia refert, quae in terra nondum erant; est simul magis superficialis, id enim tantum de ea dicitur, quod in oculos incidere poterat, scilicet tenebrae et aqua immensa. Quid fuerit tunc in interioribus terrae, utrum tota terra adhuc fluida fuerit, an jam concreta et coagulata, hoc Genesis non dicit. In internis

terrae poterant tunc jam vehementissimae revolutiones esse, vires chemicae et mechanicae poterant intus jam operari; verum istud Scriptura hic non respicit et ne verbulo quidem attingit; hoc tantum dicit, quod externe apparebat, abyssum memorans et tenebras.

## XIII.

Hanc satis tetram terrae descriptionem tamen aliquatenus temperat illa observatione adjecta: *Et spiritus Dei ferebatur super aquas, sive fovebat aquas.* — Notum est, hebraicum vocabulum *ruach* et ventum, et spiritum denotare. Notum est etiam, appositionem nominis *Dei* in hebraeo sermone superlativum exprimere, v. gr. *montes Dei* i. e. montes altissimi; *cedri Dei* i. e. celsissimae cedri etc. Hinc concludunt quidam interpretes, *spiritum Dei* esse hic *ventum validissimum*, qui flaverit super immensas aquas istas, et fervidum terrae calorem refrigeraverit, quo celerius formaretur firma crusta terram circumdans. Sed haec interpretatio non placet, 1) quia nusquam in Scripturis divinis sive Veteris, sive Novi Foederis phrasis *Spiritus Dei* (et occurrit frequentissime!) locus ostendi potest, in quo ventum vehementem denotet; ergo hic loci sine exemplo tale quid statuitur. 2.) Quominus de vehementi vento hic cogitemus, obstat id, quod immediate dicitur: *ferebatur super*



*aquas*, quod sic latine expressum forsán etiam de vento quidem accipi posset, non vero in originali, quod sonat: *m'rachépheth al p'ne hammajim*. Nam verbum *racháph*, unde *m'rachépheth* est, tantum de avibus adhibetur ovis incubantibus eaque foventibus. Ventus autem non potest dici incubare et *fovere*. Saepius laudatus Pianciani sub hoc *Spiritu Dei* intelligit *aethera*, innixus illis S. Augustini verbis (De Gen. imperf. c. IV.): „Potest taliter intelligi, ut *Spiritus Dei* vitalem creaturam, „qua universus iste visibilis mundus atque „omnia corporea continentur et moventur, intelligamus, cui Deus omnipotens tribuit vim „quamdam sibi serviendi ad operandum in iis „quae gignuntur; qui Spiritus, cum sit omni „corpore aethereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurde *Spiritus Dei* dicitur“. Verum sententiam s. Augustini veram de hoc *Spiritu Dei* mox infra videbimus.

Si ergo non potest hic, sicut etiam nusquam in Scripturis, de veheménti vento intelligi *Spiritus Dei*, remanet unicum hoc, ut *Spiritum sanctum*, tertiam Trinitatis personam cum Ss. Patribus credamus, qui ad instar avium ovis incubantium, aquis incubabat, sive toti terrae, ut eas foecundaret et vivificaret. Sic S. Ambrosius; „*Spiritus Dei* *superferebatur super aquas*, quem etsi aliqui pro aëre „accipiant, vel aliqui pro spiritu, quem spi-

„ramus et carpimus aurae hujus vitalis spiri-  
 „tum, nos tamen, cum sanctorum et fidelium  
 „sententia congruentes, Spiritum S. accipimus.“  
 Et b. Albertus M. (P. II. tr. XI. qu. 7.):  
 „Secundum Damascenum et Gregorium Nys-  
 „senum videtur ille *Spiritus Domini* esse aër  
 „et ignis . . . dicendum, quod secundum Hie-  
 „ronymum et hebraicam veritatem non potest  
 „intelligi de spiritu creato. Dicit enim Glos-  
 „sa: in hebraeo habetur *merachepeth* h. e.  
 „incubabat vel fovebat more volucris ova ca-  
 „lore animantis; intelligimus ergo non de  
 „spiritu mundi dici, ut putant multi, sed de  
 „Spiritu Sancto, quia ipse omnium vivificator  
 „est“. Atque cum eo concordat S. Thomas  
 Aquin. (Parte I. qu. 74. art. 3 ad 4.) Unde  
 etiam Ecclesia in benedictione fontis baptismalis  
 canit: *Deus, cujus Spiritus super aquas inter  
 ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam tum  
 virtutem sanctificationis, aquarum natura concipi-  
 peret etc.* (Miss. Rom. Sabb. Sancto).

Omnibus itaque consideratis, quae dixi-  
 mus, e duobus primis versibus Geneseos haec-  
 ce corollaria consequimur:

1. Deus creavit omnia, sive, omnes res extra  
 Deum ultimam rationem existentiae suae  
 inveniunt in Dei voluntate et omnipotentia.
2. Materia, quia creata, non est aeterna, sed  
 aliquando coëpit existere.



3. Terra non erat semper in tam pulchro statu, uti est inde ab hominis creatione; praecesserat enim chaos.
4. In chaotico terrae statu neque luce colustrabatur terra, et in terrae superficie aqua tantum apparebat.
5. Etiam in illo tetro statu terra stabat sub benefico influxu divinae omnipotentiae, destinata, ut in meliorem conditionem elevaretur.

Quomodo vero istud factum sit, quomodo videlicet terra ex illo statu eluctata sit, narrare incipit versus tertius Geneseos.

## DIES PRIMUS

### XIV.

*Dixitque Deus; Fiat lux. Et facta est lux.* Vere sublimis loquendi modus, majestate et potestate plenus sermo. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.* (Ps. XXXII, 9.) S. Ambrosius (in Hexaëm. lib. I. c. 9.): *Plena vox, ait, luminis, non dispositionis apparatus significat, sed operationis resplendet effectum. Naturae opifex lucem locutus est et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est.*

Quando dicitur locutus Deus, non modo humano cogitandum est, quasi Deus ore verba protulerit, et sonum emiserit. Verbum enim, quod homo profert ore suo et lingua sua, una cum sono in aëre formato evanescit et perit. *Verbum autem Domini nostri manet in aeternum* (Isa. XL, 8.). Hoc verbum Dei: *Fiat lux*, semel a Deo in lucis creatione prolatum, semper sonat, singulis, ut ita dicam, momentis sonat istud *fiat lux*, sonabitque in aeternum, quandiu scilicet lux existet. Si enim hoc verbum Dei desineret sonare, lux existere cessaret. *Verbo* enim suo aeterno numquam deficienti Deus creavit omnia. Et ecce id, quod jam superius innuebamus, totam sanctissimam Trinitatem in universi hujus creatione operosam fuisse. *Pater* creat coelum et terram in principio. *Verbum* aeternum Patris, ergo *Filius* Dei, producit lucem etc. *Spiritus Dei* autem fertur super aquas ad eas foecundandas. Unde S. Augustinus (Conf. l. XIII, c. 5): „Ecce apparet mihi, inquit, in aenigmate „*Trinitas*, quod es Deus meus: quoniam tu „*Pater in principio* sapientiae nostrae, quod „est tua Sapientia de te nata, aequalis tibi „et coaeterna, id est in Filio tuo, *fecisti coelum et terram*: . . . et tenebam jam Patrem „in *Dei* nomine, qui fecit haec, et Filium in „*Principii* nomine, in quo fecit haec; et *Trinitatem* credens Deum meum sicuti credebam, „quaerebam in eloquiis sanctis ejus, et ecce



„*Spiritus tuus superferebatur super aquas.*  
 „*Ecce Trinitas Deus meus, Pater et Filius*  
 „*et Spiritus Sanctus, creator universae na-*  
 „*turae*“.

*Fiat lux; et facta est lux.*\*) Famosus Strauss cum sequacibus suis ridet haec. Quilibet etiam rudis homo, ait, novit hoc, sine sole lucem non dari. Si sol, ut historia biblica creationis refert, quarta demum die creatus est, quomodo statim prima die lux jam esse poterat? — Verum tali modo loquens ipse risui se exponit. Verene sol est fons et causa lucis? Aut sine sole numquid lux esse, et cogitari non potest? Quid enim est lux?

Genesis, lucem hic prima vice apparuisse memorans, nihil definit de lucis natura et essentia. Istud tantum dicit, ad Dei mandatum cessasse tenebras, itaque de illo chao id sublatum fuisse, quod nos tenebras appellamus.

---

\*) S. Augustinus (Gen. imperf. I. 3. seq.) dubitat, qualis lux hic intelligi debeat, spiritualis i. e. natura angelica, sive materialis. — Multi opinantur, esse solis lucem; nimirum, ut ipsi statuunt, sol jam aderat hac prima die creationis, etsi quarto demum die apparuisse dicitur, sed lux ejus penetrare non poterat usque ad terrae faciem propter densum et opacum fluidum chaoticum; separatis vero et amotis plurimis opacis corpusculis et particulis post aliquod tempus intermedium aliquantum rarefactum et transparens redditum est, ideo solis lux apparuit eo modo, quo fieri solet, quando coelum nubibus tectum est.

Lucis autem naturam quis unquam potuit, aut potest comprehendere atque exponere? Omnes videmus lucem, ejusque effectus beneficos sentimus, sed in naturam ejus non possumus penetrare. Communiter dicitur lux materia quaedam subtilissima, per totum universum sparsa, quae oculis percipitur tunc, quando a causa movente, corpore lucente, in vibratione constituitur. Sic circiter lux definiiri solet secundum *vibrationis* vel *undulationis*, ut appellant, *theoriam*. Sed aliquando lucem dicebant materiam hujusmodi subtilissimam, quae emanat ex lucidis objectis, uti e sole, stellis etc. Et hanc *theoriam* vocabant *emanationis*. Ergo quum de lucis natura sermo est, solis hypothesibus res determinanda est, neque in definienda luce certi quidquam statui potest.

Secundum emanationis theoriam sol est fons lucis praecipuus, sed non unicus, e quo sine intermissione lucis radii egrediuntur, quin propterea sol ipse ullum patiatur detrimentum vel decrementum. Secundum alteram, id est, vibrationis theoriam, sol est praecipua causa movens, lucis vibrationem efficiens. Et tamen neutrum simpliciter verum dici potest, postquam continuatae indagaciones et observationes demonstrarunt, solem esse sphaeram obscuram, sicuti est nostra terra, vel vero luna; lucem vero proprie procedere non ab ipso solis orbe, sed ab ejus *photosphaera* (Lichtkreis), qua



sicut terra sua atmosphaera, sol circumcirca cingitur.\*) Ista photosphaera autem hinc inde interrupta, majores minoresve maculas obscuras in sole nobis ostendit, quae frequenter mutantur, augentur et minuuntur.

Sol itaque cum sua photosphaera est praecipuus, sed non unicus lucis motor, vel si placet, emanator; et lux non est dicenda idem quid cum sole, neque necessario solem praesupponit. Poterat itaque lux existere etiam ante solem. Praeterea quilibet novit, multa media dari, lucem producendi, et tenebras illuminandi etiam sole absente.

Dixi itaque, solem praecipuum, sed non unicum lucis fontem esse. Ut nempe taceam stellas, quas appellant fixas, quae sunt totidem soles, etiam corpora alias obscura, ut luna, ut terra etc. suam propriam lucem habere dicuntur, quod Humboldt (Kosmos I. 207.) ex variis lucis phaenomenis, imprimis vero e sic dicta *aurora boreali* (Nordlicht) demonstrare conatus est, quae secundum eum nil aliud est, quam fulgor lucis ex opaco terrae orbe emissus. Quod si verum sit, iterum confirmat id, quod asserimus, quodque Scriptura dicit, lucem affuisse, a sole independentem, tribus primis creationis diebus; inde vero a

---

\*) Hodie jam istud quoque non valet amplius, sed solem dicunt omnino igitum esse, solis maculas vero longo alia ratione explicant.

quarto die creationis ita alligatam soli, ut exinde solis ortus et occasus diem noctemque efficiat.

*Pianciani* in opere suo jam supra saepius laudato, hanc lucem primo die productam putat *chemicam fuisse conflagrationem* primorum elementorum, post quam coeperint formari et ab invicem separari variae sphaerae, e quibus universa corpora coelestia deinde efformata sunt. Neque hic primum lucem ex nihilo procreatam dicit, \*) quum textus originalis proprie dicat: *Sit lux!* (*j'hi or*), non vero: procreetur, aut simile quid. Illi enim atomi elementares jam a creatore ita procreati erant, ut cum aliis concurrentes et commixti, conflagrare, ignem (*or*) itaque et inde lucem producere naturaliter debuerint.

## XV.

*Et vidit Deus lucem, quod esset bona; et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lu-*

---

\*) Non male observat *Pianciani*, quum *in principio creavit Deus coelum et terram*, non dici: *Fiat coelum et terra*, nam e nihilo procreabantur: mandata enim dantur existentibus, non vero illis, quae non sunt. Hinc b. Albertus M. (*Summa P. III. tr. XI qu. 55.*): „*In opere creationis*, ait, utitur verbo „*creationis*, quia in illo corpora simpliciter producuntur ex nihilo. In *opere distinctionis* utitur hoc „*verbo fiat* et fecit: quia illud non fit ex nihilo, „*sed est determinatio ad formam et locum*, quod „*ex parte operis est proprie fieri.*“



*cem diem, et tenebras noctem; factumque est vespere et mane, dies unus.* (v. 4. 5.)

Lux a Deo producta dicitur bona, quia fini suo a deo per lucem intento perfecte respondebat.\*) Dispulsis tenebris ergo lux refulsit, attamen tenebrae non omnino sublatae sunt, sed tantum suis limitibus circumscriptae et restrictae intra certos fines. Hucusque dominabantur solae tenebrae; nunc istud dominium tenebrarum cessat, earumque relationes ad lucem determinantur. A momento enim, quo lux producta fuit, lux et tenebrae regulariter et ex ordine sibi succedebant; ista relatio inter lucem et tenebras hic introducta est regularis et ordinata successio, quam lingua hominum vocabulis *dies* et *nox* denotat.

Quum ergo Moses dicit: *Appellavitque*

---

\*) Pulchre Mazzocchi Spicil. Bibl. ad rem scribit: *Id quia ipse per se molitus est, nulla approbatio sequitur. Praeparata deinde materia univ-ersa, singula paene opera creaturis faciendu locasse, hic et in sequentibus scribitur ut: germinet terra . . . item alibi: producant aquae reptile . . . et rursum alibi: producat terra jumenta et reptilia. Non mirum ergo si eadem opera, postquam fuere facta, ad artis suae id est divinae sapientiae regulas exegisse, ac demum probavisse dicatur supremus artifex. Nimirum, quum Deus e nihilo creasset coelum et terram, non dicitur: *Et vidit Deus, quod esset bonum*: sed haec approbatio tum tantum additur, quando ex materia jam existente ipso jubente aliquid fit, ut hic loci lux.*

*lucem diem, et tenebras noctem,\*)* exprimit hunc sensum: mutua et ordinata successio lucis et tenebrarum, quam lingua humana terminis *dies* et *nox* denotat, in divina dispositione originem habet. Statim ad divinum mandatum lux apparuit, ergo *dies* facta est. Quum *dies* esset per aliquod tempus, de cuius longitudine vel duratione nihil dicitur, nec scire possumus, ingruebant iterum tenebrae, facta est nimirum *vespera* et *nox*; sed tantum, ut post aliquantam durationem iterum luci cederet, cuius secunda apparitio secundam inchoaret diem.

Habemus itaque hic primam diem, cui successit deinde secunda, tertia, et sic porro usque ad septimam diem, quae respondet no-

---

\*\*) *Qua lingua, interrogat S. Augustinus, vocavit Deus diem lucem, et tenebras noctem? Utrum Hebraea, an Graeca, an Latina, an aliqua alia? Apud Deum est sine strepitu et diversitate linguarum purus intellectus.* (De Gen. cont. Man. lib. I. cap. 9.) De cetero etiam in profanis scriptoribus invenimus, diem et noctem nomen a Deo accepisse. Proclus scilicet lib. 4. in Timaeum Platonis scribit, diem et noctem deos esse, *quorum nomina ab ipsis diis accepimus.* Ita apud Frontonem, ab Angelo Majo ex palimpsestis editum, haec invenimus: *Jovem patrem ferunt, cum res humanas a primordio conderet, aevum vi medium uno ictu percussum in duas partes undique pares diffidisse, partem alteram luce, alteram tenebris amicisse, diem noctemque appellasse: noctique otium, diei negotium tradidisse.*



stro sabbatho, hinc prima creationis dies dominicae nostrae respondet. Quod dicitur etiam in hymno matutini de Dominica:

Primo die, quo Trinitas  
Beata mundum condidit,  
Vel quo resurgens Conditor  
Nos morte victa liberat,  
etc.

Non tamen omnes eodem modo hanc diem accipiunt. Nonnulli enim dicunt, primam creationis diem incipere a primo momento creationis, atque illas primaevas tenebras usque ad lucis productionem fuisse primam noctem, cui successit lucida dies, atque hanc noctem cum sequente die fuisse primam diem. Huic sententiae videtur favere, quod Moses hic dixit: *factumque est vespere et mane, dies unus*, praemittendo *vespere* i. e. noctem, et dein ponendo *mane* i. e. lucidam diei partem. Item favet isti sententiae antiquissima Judaeorum consuetudo, inchoandi diem civilem cum solis occasu, ergo cum nocte. — Verum non ita intellexit S. Augustinus, quem nos quoque sequimur, qui primam, sicque omnes sequentes creationis dies inchoare dicit a luce, ita ut ab uno mane ad alterum, seu ab uno lucis ortu ad alterum dies numerandi sint.

*Illae tenebrae, inquit, nondum erant nox, nondum enim praecesserat dies: divisit quippe Deus inter lucem et tenebras, et prius lucem*

vocavit diem, deinde tenebras noctem, et facta luce usque ad alterum mane, commemoratus est dies unus; manifestum est illos dies a luce coepisse, et transacta luce usque ad mane singulos terminatos. (Serm. 79. de divers.).

Item: „Quia etiam nox, ait, ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta, cum factum est mane; Sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane. (De Gen. cont. Manich. I, 10.)

Idem sentit etiam s. Ambrosius, dicendo: *Principium diei vox Dei est: Fiat lux*; nec non S. Joannes Chrysostomus (In Genes. hom. V, 5.): *Et factum est vespere, et factum est mane, dies tertius. Vides, quomodo iterando frequenter doctrinam, menti nostrae dictorum vim infigere vult? Oportebat enim dicere: Et factus est dies tertius. Sed vide, quomodo de singulis diebus sic dicat: Et factum est vespere, et factum est mane, dies tertius. Non simpliciter nec absque causa: sed ne ordinem confundamus, neque putemus vespere ingruente finem accepisse diem. Sed sciamus vespere finem esse lucis, et principium noctis: et complementum diei. Hoc enim docere nos vult Moses dicens: Et factum est vespere, et factum est mane, dies tertius. Et ne mireris, dilecte, si haec saepe, et continuo dicat divina Scriptura. Si enim post tantam dicti frequentiam Judaei adhuc errore praeoccupati, excoecato corde, contendunt, et vespeream initium*



*sequentis diei esse opinantur, decipientes semet ipsos; et adhuc in umbra sedent, veritate omnibus patefacta etc.* — Volui integrum locum, etsi paulo longiorem exscribere, ut et res manifestius pateat, et nostra sententia auctoritate tantorum Patrum firmitus accipiat fundamentum. Res enim ista est, ubi Scripturae auctoritatem contra adversarios pro nostro modulo defendere suscepimus, non ita parvi momenti. Nam quia adversarii multa millia, imo milliones annorum, ut superius observatum fuit, requirant, qui elapsi sint a creatione: hac dies creationis intelligendi ratione invenimus, totum tempus elapsum a momento, quo coelum et terram creaverat Deus, usque ad initium primae diei, extra spatium septem dierum creationis constitutum esse; quod, ut jam dictum fuit, et ipsa rei natura insinuat, breve esse non poterat.

Solebant aliquando in scholis etiam hoc quaerere, quo anni tempore mundus creatus sit, et plerumque ad hoc quaesitum responsio sequebatur, tempus tunc fuisse autumnale, quia Hebraei ab antiquissimis temporibus, (certo jam ante Mosis tempora, cfr. Exo. XII, 2. seq. anni civilis initium autumnum faciebant. Sed hujusmodi quaestio omnino inutilis et vana est, ut ex omnibus hucusque consideratis patet.

Multo majoris momenti est quaestio, quales fuerint isti dies creationis. S. Augustinus (de Civ. Dei. lib. XI, c. 6.) scribit: *Qui dies (creationis) cujusmodi sint, aut perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere.* Quando enim nos de diebus loquimur, sive de die naturali 12 horarum a solis ortu ad occasum, sive de civili die 24 horarum cogitemus, dies accipimus, quos solis ortus et occasus circumscrit. Et inde a quarto creationis die possunt revera dies eodem modo cogitari, quia sol jam aderat, et sicut nunc, ortu suo et occasu noctem et diem efficiebat. Primis vero tribus creationis diebus manifeste dies aliter efficiebantur; primo scilicet lux erat, discedente luce succedebat nox, quin determinare valeamus, quomodo istud contigerit. Dies ergo et nox tunc erant spatia temporis vel nostris diebus et noctibus aequalia, vel breviora, vel longiora. Scriptura, nihil circa hoc determinando, liberum relinquit nobis, diurnitatem dierum et noctium meliori, quo possimus, modo explicare.

Sed ipsum hebraicum nomen *jom* (dies) varias admittit interpretationes.\*) Qui enim

---

\*) „Che la parola *jom*, dies, si usi nelle „Scritture in senso di tempo o periodo indeterminato, è cosa già osservata da assai commentatori „e teologi.“ (Pianciani *Cosmologia* §. 1. pag. 27.)



attente legit Scripturam, observare potest, nomen *dies*, *jom*, aliquando sensu strictissimo accipi pro die naturali, i. e. pro spatio temporis a solis ortu usque ad occasum, ut v. c. in ipso 1. cap. Gen. v. 14. *Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem.* Aut quum Jesus loquitur: *Nonne duodecim sunt horae diei?* (Joan. XI, 9.) et alibi saepissime. Alias sensu latiori sumptum, diem civilem i. e. spatium 24 horarum denotat v. gr. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est.* (Exo. XX, 9.10.), et in aliis locis. Aliquando vero sensu latissimo quaecumque tempus indeterminatum significat, praecipue apud prophetas, qui de *die Domini* loquuntur, uti: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini quia prope est.* etc. (Joel II, 1.). *Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, . . . . Juxta est dies Domini magnus . . . . dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae* etc. (Soph. I, 7. 14. seq.) ubi *dies Domini* denotat tempus divinae visitationis et punitionis. — Plurale vero *jamin* saepe annum, vel annos exprimit, ut: *Factum est autem post multos dies* (post multos annos), *ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino* (Gen. IV, 3.), et alibi saepius.

Quum itaque vocabulum *jom*, *dies*, non

necessario semper *idem* temporis spatium exprimat, neque in ista creationis historia *necessario* breve tempus 24 horarum diei tribuimus, sed possumus latissimo sensu diem intelligere de longiori temporis intervallo, de integra periodo plurium annorum, praecipue quum tali ratione\*) facilius conciliemus Scripturae effata cum postulatis geologorum et astronomorum.\*\*)

---

\*\*) Ita Pianciani loco citato: „Ora se la parola *giorno* nella Scrittura ha parecchie volte il „senso di tempo indeterminato, ed ai sei giorni del „C. I. del Genesi si è sempre reputato lecito dare „interpretazione differente da quella di giorni di „ventiquattro ore, non si vede perchè non possano „questi giorni reputarsi periodi indeterminati, qual- „ora a ciò fare si trovi qualche fondamento nel „testo medesimo, ovvero sembri ciò spediante o ne- „cessario per diffendere la sacra storia dalle obbie- „zioni degli avversari.“ (Pianciani pag. 30 e 31.)

\*\*) De longis temporis spatiis dies creationis omnino intelligendos esse, contendunt prae multis aliis etiam *Pianciani* et *Reush* in supra citatis operibus, quorum sententiam ego quoque amplector. Ceterum, antiquorum communem sententiam statuentem, dies illos fuisse civiles 24 horarum, quam recentissimo adhuc tempore P. *Athanasius Bosizio* S. J. in suo *Hexaëmero* pro aris et focis defendit, ut *possibilem* admitto. Neque in instructionibus ad populum ab ista sententia recedendum esse prudens reputo, quia fieri posset, ut indocta plebs sententia superius memorata offenderetur. Juvat tamen imprimis sacerdotes cognoscere, quid fidei



Deus nempe materiae a se creatae indidit vires, adjecitque leges naturae, secundum quas a primo suo ortu materia ista agebat, et evolvebatur, et formabatur, multasque et diversissimas, secundum leges et vires sibi datas agens, subiit evolutiones et formationes, donec ad illam formam redigeretur, in qua nunc est. Totum hunc processum evolutionum, orbis nostri terraquei imprimis, Moses intra sic dictos sex creationis dies conclusit, quos septimo terminavit requietionis die. Non erat scopus ejus, docere cosmogoniam, geologiam, vel astronomiam, sed docere fundamentales religionis veritates, omnia esse a Deo creata, materiam non esse ab aeterno, sed in temporis principio a Deo e nihilo productam; et in specie hac creationis historia in septem dies divisa hominibus typum proponere voluit, quem imitarentur, sex diebus operando, septimo vero cessando ab occupationibus aliis, ut Dei cultui vacarent. (Cfr. Exo. XX, 9--11.) Unaquaque creationis die majorem quamdam orbis terrae evolutionem describit, quae evolutio secundum solitum rerum ordinem non 24 horarum spatium, sed multos annos, immo forsitan saecula requirebat. Dies itaque isti

---

adversarii circa biblicum Hexaëmeron sentiant et dicant, quidque data occasione ipsis respondendum sit. Et hunc quidem finem prae oculis habui, quum ista scriberem.

metaphorice positi credendi sunt. Si vero *dies* non veri dies, sed metaphorice accipiuntur, tunc etiam *vespere* et *mane* similem metaphoram exhibent, ita ut *mane* significet initium, *vespere* autem finem periodi annorum, quae periodus tropice *dies* nuncupatur.

Qui *dies* 24 horarum in creationis historia retinent, certe etiam *vespere* et *mane* ad litteram interpretantur.

Secundum *Piancianium* prima dies lucida erat, ut supra vidimus, universalis mundi conflagratio (allgemeiner Weltbrand), post quam, incendio hoc cessante, tenebrae, vel saltem crepusculum quoddam, ergo *vespera* successit. Atque sic in sequentibus *vespere* et *mane* interpretatur de praecipuis terrae evolutionibus, quae quum contingerent, vapores tenebrosi et densi, nec non fumus e multis terrae partibus simul ascendentes, lucem obtenebrabant (fiebat *vespere*); quibus dispersis iterum lux apparebat i. e. *fiebat mane* et initium novae diei. Hinc S. Augustinus: *Vespera*, ait, *in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurde fortasse intelligitur, mane vero tamquam futurae operationis significatio.* (De Gen. contra Manich.). Similiter Arnoldus abbas Bonae Vallis, de opere sex dierum scribit: *Mane et vespere ita ponitur multis in locis, ac si dicatur, prius et posterius.*

S. Augustinus, qui, ut supra vidimus,



totum mundum uno momento a Deo perfecte dispositum et ornatum, qualis nunc est, productum fuisse asserebat, singulos creationis dies non realiter, sed logice tantum distinctos volebat, ut scilicet mens limitata, qualis est nostra, ex ordine singulas partes creationis, quia uno prospectu non potest, considerare et prospicere valeat separatas. Vesper vero et mane singulorum dierum secundum eundem S. Patrem est duplex modus cognoscendi, scilicet *cognitio ideae*, et *cognitio ex intuitu*, quam deinde Scholastici secuti distinctionem, *cognitionem matutinam et vespertinam nominabant*.

## Dies secundus.

### XVII.

*Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his, quae erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum coelum. Et factum est vespere, et factum est mane, dies secundus. (v. 6—8.).*

Pulchro ordine evolutiones procedunt. In versu secundo supra sistit nobis terram adhuc in statu chaotico, totam aquis circumfusam, et densissimis involutam tenebris. Lux produ-

citur, dispelluntur tenebrae. Et nunc aquae, totum orbem operientes, dividi incipiunt. Quia enim cum luce etiam calor, electricismus, magnetismus, et quomodo cumque demum appellentur omnia sic dicta *imponderabilia*, producta jam erant, per haec aquae affectae frequentes sursum emittebant vapores, et non parva pars aquarum tali modo a massa aquarum, in terra adhuc remanentium, separata in altiora ascendebat, simulque atmosphaera efformata fuit, quae hic *firmamentum*\*) vocatur. Firmamenti vocabulum latine exprimit id, quod graecus interpretes στερεώματα dixerat.

Atmosphaeram enim cum aethere cogitabant sibi antiquitus tamquam firmum quid, in quo superne stellae moventur. „Tamen bene atmosphaera *firmamentum* dicitur, ut recte observat Pianciani, quia pondere suo et sua pressione aquas in terra existentes retinet, ne nimis evaporando in altum eleventur et cum nubibus misceantur; similiter vero et nubes cohibet in alto suspensas, quae semoto isto obstaculo in terram se demitterent. Vapores enim et nubes revera eo altius ascendunt, quo major pressio aëris in barometro observatur. Moses itaque de hoc phaenomeno loquitur,

---

\*) „*Firmamentum* non a naturae propria conditione, sed ab effectu vocatum est, quod perinde „aquas separet, ac si murus esset firmissimus.“ (Petavius de opif. mundi l. I. c. X. 9.)



quod nos facile capimus, Israëlitae vero non minus, quam Plinius admirabantur, qui scriptum reliquit: *Quid esse mirabilius potest aquis in coelo stantibus?* (Hist. nat. XXXI.)“ Pianciani Cosm. p. 345.

Hebraeus vero textus pro firmamento nomen habet *rakía*, quod significat *expansum* seu *extensum*, sicuti est v. gr. pannus expansus, vel tentorium, in quo sensu etiam psalmista ait: *Extendens coelum sicut pellem*, i. e. sicut tentorium, ut in originali dicitur (Ps. CIII, 2.). Atque nomen *expansum* atmosphaerae optime convenit.

*Vocavitque Deus firmamentum coelum*, sive fecit, ut homines *coelum* illud appellarent.\*) Coelum vero, ut jam innuimus, in Scripturis distinguitur triplex. Nam s. Paulus scribit, *raptum se fuisse in tertium coelum* (2. Cor. XII, 2.). Primum coelum dicitur *aëreum* sive *atmosphaericum*, vel simplicius *atmosphaera*; et istud coelum utique est intelligendum, quum Christus loquitur: *Respicite volatilia coeli* (Matth. VI, 26.), aut quum di-

---

\*) Non tantum Scriptura atmosphaeram nostram coelum nominat, sed etiam Latini. Sic Lucretius: *In coelo, qui dicitur aër.* — Plin. II, 30: *Et hoc coelum appellavere majores, quod alio nomine aëra.* — Cicero Tuscul. quaest. I, 19: *Coelum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae.*

cit Daniel: *Aspiciebam . . . et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat* (Dan. VII, 13.) Aut in Psalmis: *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam.* (Ps. CXLVI, 8.) — *Serenum erit; rubicundum est enim coelum . . . . Hodie tempestas; rutilat enim triste coelum.* (Matth. XVI. 2. 3.) etc. Quando vero dicitur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli* (Gen. XXII, 17.), coelum est secundum, *sidereum* vel *stellatum* dictum. Tertium tandem coelum, a schola *empyreum* appellatum, sedes est beatorum.

Quum ergo Scriptura hic dicat: *Vocavitque Deus firmamentum coelum*, quaeri potest, quale coelum hic intelligendum sit, *sidereum*, aut *aëreum*? Ad quam interrogationem responsi loco etiam nos quaerere possumus: Distinguitne Moses hic istud duplex coelum? An non potius sine ulla distinctione utrumque unâ comprehendit? Et certe S. Thomas Aquin. P. I. qu. 68. art. 1. 0. scribit: *Potest intelligi, ut per firmamentum, quod legitur secundo die factum, non intelligatur firmamentum illud, in quo fixae sunt stellae, sed illa pars aëris, in qua condensantur nubes.* Alibi enim firmamentum etiam coelum sidereum dicitur. *Petavius* de caetero hunc locum totius Hexaëmeri difficillimum reputat.

Aliae aquae manent in terra, aliae ascendunt in superiora. Quid sunt aquae super firmamentum? Aqueam massam, quae ex chao



secundae diei in superiora ascendit, nonnulli eruditi, uti *Delitzsch* Genes., *Baltzer*, Schöpfungsgesch., *Zollmann*, Bibel und Natur, ajunt ad hoc ascendisse super firmamentum, ut sicut ex inferioribus aquis tertia die terra efformata fuit, ita et ex aquis ascendentibus corpora coelestia, sol, luna, stellae efformarentur. — Verior tamen sententia, et unice amplectenda est, quam nos exposuimus, nimirum, aquas super firmamentum esse aquas nubium, ita ut opus diei secundae proprium sit formatio atmosphaerae, terram undequaque circumdantis. Pars scil. aquarum, quae in chaotico terrae statu superficiem orbis nostri efficiebant, ascendit in vapores (*Dunst*) soluta in altum, et efformavit id, quod Germanus appellat *Dunstkreis*, nos graeco vocabulo vero atmosphaeram.

Cur hanc nostram expositionem unice veram dicamus, illam vero minus probabilem, en rationes: 1) Mosis erat propositum, ut tota ejus creationis historia testatur, geogoniam scribere, et non cosmogoniam, id est, quomodo terra efformata fuit, non vero totus mundus, in specie astra; hinc nihil erat, quod eum determinasset, ut loqueretur de astrorum formatione; de coelestibus enim corporibus re vera etiam eatenus tantum loquitur, die creationis quarta, quatenus ad nostram istam terram referuntur. 2) Narratio ista Mosis manca dicenda fuisset, et lacunosa, si de at-

mosphaerae formatione, et de nubibus nullam fecisset mentionem, e quibus pluviae et imbres descendunt.

Facile credimus, si quidem terra in suo exordio calidissima erat, ut vult hypothesis Humboldti supra memorata, immo ut sequitur etiam ex hypothesis Piancianii de illa universi conflagratione, vapores ex ingenti aquarum mole continuo alta petiisse, ubi in frigidioribus regionibus condensati nubes formabant, atque inde imbres vehementes continuo demittebant, aut saltem rorem copiosissimum. (Cfr. Gen. II, 6.)

Separatio autem aquarum earumque divisio hic loci a Scripturis memorata nondum eatenus facta erat, ut terra arida apparuisset; hoc sequenti demum diei tertiae reservatur.\*) Unde non satis feliciter graecus antiquus interpretes hic quoque adjecit: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Nam hanc observationem neque textus originalis, neque Vulgata nostra, neque ulla alia Bibliorum translatio habet. Additur enim semper tum tantum, quando opus aliquod omnino perfectum narratur. Un-

---

\*) Psalmus CIII. qui lirico carmine opus sex dierum decantat, atmosphaerae efformationem ita describit: *Amictus lumine (Deus) sicut vestimento, extendens coelum sicut pellem; qui tegis aquis superiora ejus; qui ponis nubem ascensum tuum, et ambulat super pennas ventorum etc.* (vv. 2. 3.)



de etiam, perfecta demum aquarum divisione, ita ut et terra arida apparuerit, tandem decimo versu sequenti additum est.

Quod tandem de duratione primi diei dictum fuit, valet etiam de hoc secundo die, valet etiam de omnibus reliquis creationis diebus. „Non oso determinare la durata del tempo di quel „calore luminoso“, dicit Pianciani de primo die; „possiamo per altro congetturare, che non „così presto cessasse“ (p. 339.). Atque idem de hoc secundo, et sequentibus diebus dicendum est. Nam, ut ait S. Augustinus (de Gen. ad lit. l. V. c. 5.), *nec illos dies sicut istos solares cogitare debemus.*

### Dies tertius.

#### XVIII.

*Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum. (v. 9. 10.) Hunc locum respicit Psalmus CIII, 6—9. ubi dicitur: Super montes stabunt aquae. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitruum tui formidabunt. Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

Opus tertiae diei duas partes complectitur: primo, separantur aquae ab arida; secundo, arida vestitur plantis. Sicuti a sapientissimo Creatore dispositum erat, ut lux et tenebrae ordinate sibi succederent, diemque et noctem efficerent; ita eadem divina sapientia aquas et terram disteminavit, ut aquae suum, arida terra suum locum occuparent. En mirabilem consensionem geologiae cum Mosis narratione! Geologi enim, quum ubique terrarum, etiam in altissimis montibus entia organica marina, aliaque hujusmodi vestigia inveniant, inde docent, aquis quondam totam terrae superficiem tectam fuisse. Hoc idem docet Moses hic.

*Congregationes aquarum appellavit maria.* Istud *maria*, hebr. *jammim*, ut Delitzsh bene observavit, non est pluralis *numericus*, sed *intensivus*, et denotat oceanum, aut id, quod nos quoque sub singulari *mare* intelligimus, quando de eo in oppositione ad terram loquimur. Quod flumina, paludes et lacus, qui sunt, ut ita dicam, partes oceani hinc inde disjectae et dispersae, hic a Mose non memorentur, mirum videri non debet. Sermo enim est hic loci tantum de eo, quod et aquis suum proprium et separatum locum assignaverit Deus, et aridae terrae suum.

Dei omnipotentis voluntas erat utique in hoc opere tertiae diei ultima causa; quodsi quaeramus etiam proximam causam physicam



divisionis hujus aquarum et aridae, invenimus eam in magnis terrae revolutionibus, quae hic praesupponi debent. De- Luc rem sic sibi repraesentat. Terra ab initio ubique aquis circumdata similis dicenda aedificio grandi, habenti cameras, et conclavia multa h. e. multas cavernas; quum rupes, has cavernas fulcientes et sustinentes, collaberentur, aqua in has cavernas penetrabat, sicque elatiores partes terrae, aqua in cavernas defluente, supra aquarum faciem eminere coeperunt i. e. apparuit terra arida. Verisimilior tamen, magisque communiter recepta est alia sententia, quae subterraneos ignes causam dicit harum terrae revolutionum, qui in diversis locis erumpentes, terram alibi elevabant, alibi vero subsidere faciebant. Hoc enim et nostra aetate adhuc, etsi rarius, fieri audimus et legimus, novas aliquando insulas in medio mari emergere, alias vero submergi. Hoc tamen supponit terrae crustam jam plene efformatam. Nam ab initio orbis terrae nimirum calidissimus in fluido statu quum esset, externe paulatim refrigerabatur, formabaturque crusta terrae. Hoc vero simul efficiebat, ut moles ejus minor et contractior evaderet, unde fiebat, ut crusta terrae jam efformata, sed adhuc debilior, in pluribus partibus disrumperetur. In multis locis ergo terra elevabatur, in aliis deprimebatur; sicque aqua defluebat a locis nunc elevatis, et in humiliori-

bus locis consistebat; atque ita efformata sunt maria, lacus, flumina. Indirecte ergo hic prima montium formatio memoratur. Ex his vero non sequitur, neque Scriptura istud asserit, *totam* omnino terram tertio die aquis nudatam, quae tunc arida apparuerat, hodie adhuc talem esse: multae enim post haec terrae revolutiones evenerunt, in quibus terra arida iterum depressa aquis tecta, alia e contra, quae aquis tegebatur, elevata, arida facta est. Moses loquitur hic de prima aridae apparitione.

Sic ergo chaos illud primitivum cessit ordini. Prius enim *t' hom*, seu abyssus, et *majim*, hoc est, aquae tantum apparebant; nunc adest et terra arida, et aquae suis limitibus sunt circumscriptae. Prius tenebrae totum orbem tegebant; nunc lux adest, et tenebrae cohibitae sunt. Chaos itaque disparuit, solum quod adhuc de chao restabat, erat illud: *terra erat adhuc inanis et vacua*. Etiam huic defectui occurrendum erat.

Ideo eodem adhuc tertio creationis die arida vegetabilibus induitur, quod est alterum diei tertiae opus Creatoris. — Et ita tandem finem habent *opera distinctionis*, ut loquitur S. Thomas Aquin. (Prim. 2. q. 70. a. 1.), qui omnes divinas operationes in creatione mundi in *opera creationis*, *opera distinctionis*, et in *opera ornatu* dividit. Primo enim distinguitur lux a tenebris, deinde aquae ab aquis, et tandem aquae a terra. Deinde or-



natur lux astris in coelo, aquae et aër animalibus aquaticis et volatilibus, terra vero non tantum regno vegetabili, sed imprimis omnis generis animantibus, et tandem homine.

### XIX.

*Et ait: Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semet ipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra etc. Et factum est vespere et mane, dies tertius. (v. 11—13.)*

Eadem tertia creationis die, sive periodo, alterum hoc memorabile narrat Scriptura nobis opus divinum, productionem nempe primaevae Florae, ut sic animalia, postea creanda, invenirent, unde vivere possent. Convenit autem vegetabilium creatio adhuc tertio diei, quia vegetabilia, firmiter terrae inhaerentia et in ea radicata, quasi partem terrae aridae constituunt. Aquarum separatio ab arida, et productio vegetabilium in ipsa arida, distinguuntur qua duo opera diversa, etsi uni eidemque diei tribuantur. Utrumque enim opus distinguitur illis verbis: *Dixit vero Deus: Congregentur aquae etc. Et ait: Germinet terra etc.* Atque utroque opere perfecto, additur: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Unde S. Augustinus (opere imperf. de Genesi X, 35.): *Itaque, ait, et uno die ista junguntur,*

*et iteratis verbis Dei distinguuntur ab invicem.*

Non sine causa memorat semen, dicendo: *herbam virentem et facientem semen, et lignum . . . cujus semen sit in semetipso super terram*; nec sine causa addit: *juxta genus suum*: Hoc enim modo et varia vegetabilium genera a Deo tertia die producta fuisse insinuat, non unum, alterumve tantum; et per semen suum acceperant facultatem, ut unaquaeque planta suum genus propagaret et in terra conservaret; ita ut nunc existens regnum vegetabile omnino dici debeat descendens ab illo, quod tertio die a Deo creatum fuit. Attamen non omnes plantae, quae nunc sunt, mox ab initio apparuerunt. Decretum enim istud divinum: *Germinet terra* etc. tunc editum respicit totam creationis hebdomadam; atque vi decreti hujus alia vegetabilia hoc tertio die *actualiter* producta fuerunt, uti *filices*, aliaque imperfectiora (semper enim observamus gradationem quandam in creationis historia ab imperfectioribus ad perfectiora), alia vero tantum *potentialiter* sive *in causa*.

Qua ratione autem Deus vegetabilia produxerit, utrum germina, vel semina eorum, aut vim ea producendi terrae indiderit, ita ut tertia die terra obsequens mandato Dei produxerit plantas; an vero Deus illas verbo suo omnipotenti e nihilo eduxerit; utrum statim plantae jam adultae in terra apparuerint, an



vero in primo germinationis stadio: res sunt, de quibus Scriptura nihil definit, neque nos, neque ullus homo quidquam certi affirmare possumus.

Omnipotentiae divinae utrumque aequale facile erat. Mosis autem sufficiebat, indicasse, plantas prodiisse ad mandatum divinum. Id enim tantum narrat, quod externe apparebat; terra nimirum, quae hucusque nuda erat et vacua, nunc plantis vestita est. Nihilo minus rationi convenientius apparet, plantas in primo creationis regni vegetabilium actu adfuisse ante semina. Istud videtur jam ipsis verbis innui, quibus Scriptura hic utitur, dicendo: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum . . . . cujus semen in semetipso sit*, quasi diceret: germinet herbam, ut ista semen faciat, quo possit sui similia proferre, item de *ligno* vel arboribus. Deinde est et haec consideratio attendenda: Omnes plantae cujusvis functiones ad unum tendunt scopum, ut producant granum vel semen suum. Hoc scopo obtento planta aut emoritur, aut saltem requiescit. Granum sive semen hujusmodi omnino inoperosum manet, nisi calor et humor accedant, quibus conditionibus externis positis, ex ipso nova enascitur planta. Granum itaque est ens sopitum. Planta tendit producere granum; granum quae tale non agit quidquam: est interruptio functionum plantae, et somnus quidam. Planta

sola operatur, ipsa sola est ens operans. Unde rationi omnino magis conforme apparet, plantas prius adfuisse, quam semina. Ita dicendum de questione, utrum ovum, an gallina prius exstiterit. (Cfr. Pianciani, Cosmog. pag. 367.) Sic quoque Lud. De Dieu: *Herbae et arbores non ex semine et radicibus pullularunt, sed ipsamet fuerunt omnium plantarum semina et radices.*

Videtur vero illis primis temporibus, quando arida terra apparuit, atmosphaera continuisse acidum carbonicum (Kohlensäure), ut dicitur, in multo majori copia, quam nunc, ita quidem, ut animalia in ea nondum vivere potuerint; illa atmosphaerae conditio vero erat vegetationi plantarum convenientissima. Plantae itaque tum ob abundantem humorem, tum ob majorem terrae calorem, tum ob multum acidum carbonicum laetissime crescebant et prosperabant. Hoc modo simul anterioritas plantarum, et in genere vegetabilium prae animalibus stabilitur. Subsequi enim debuit adhuc alia rerum conversio, qua tolleretur nimia illa quantitas acidi carbonici, ut respiratio animantium possibilis fieret.

Erant autem, ut innuimus, plantae producendae, ut animalia mox creanda victum necessarium habere possent. Et quidem regnum vegetabile in mundi formatione omnino praecessisse productionem animalium atque horum productionem contigisse ante, quam



homo in terris apparuit, non tantum ratio suadet (unde enim victum sibi petiissent animalia, si prius exstitissent, quam plantae?) sed etiam observationes palaeontologicae et geologicae confirmant. Distinguunt enim, quantum hucusque terrae nostrae crustam, praecipue in fodinis carbonum fossilium, metallorum etc. examinare potuerunt, terrae et montium strata a) in *azoica*, in quibus nullum adhuc ullius vitae vestigium observari potest, et b) in *zoica* strata, sive talia, in quibus observantur jam vestigia saltem vitae plantarum; quae porro *zoica* subdividunt in plures adhuc classes, uti v. c. *palaeozoica mesozoica, caenozoica*, quae omnia adhuc referunt in tempora, antequam homo in terra vivere coepit. Strata enim terrae, formata post hominis creationem, *recentia* appellare placuit. Ubi itaque montes vel strata terrae inveniunt, in quibus nullum omnino vestigium, neque plantarum vitae occurrit, hos satis probabiliter statuunt formatos fuisse ante omnes alios, ut nos diceremus, adhuc tertia, vel fors jam secunda creationis die; quod enim montes coeperint formari tunc, quando apparitura erat arida, superius notavimus, nec sanus quis negabit. Proxime ad has primas montium formationes accedunt strata palaeozoica, in quibus vestigia primaevae Florae jam apparent, et vel nulla omnino adhuc animalium vestigia, vel tantum paucorum conchyliorum; de-

mum in mesozoicis etiam piscium variorum, aliorumque animalium aquaticorum; atque in caenozoicis reliquorum quoque animalium, scilicet terrestrium, nulla vero adhuc hominum vestigia inveniuntur. Quis est, qui non videat, haec geologorum axiomata omnino consentire cum historia Mosaica creationis: tertia die plantae, quinta animalia aquatica, sexta reliqua animalia omnia, et in fine tandem homo creatus fuisse dicitur. Cum ejus apparitione in terris clauditur tempus antehistoricum, et inde incipit aetas, quam respectu terrae, praecipue montium formationis geologi recentem, ut diximus, nominant. At dicunt: Ut plantae crescere et prosperare possint, indigent sole, luce, et calore; sol vero nondum aderat. — Ast lux aderat jam a prima die; cum luce aderant, ut supra observavimus, etiam reliqua imponderabilia, calor scilicet, electricitas etc. Aderant ergo omnes conditiones, necessariae ad hoc, ut potuerint plantae non tantum crescere, sed et prosperare.

*Et factum est vespere et mane.* Post chemicam conflagrationem, ait Pianciani, primo die factam, necessario iterum quaedam obscuritas subintravit, *factum est vespere.* Inde iterum lux qualiscumque, in quantum densissimi vapores terram circumdantes eam penetrare sinebant, illuxit, factus est dies secundus, et formata est atmosphaera. Progrediente tempore, quum finito die secundo, transacto



quoque ejusdem vespere, mane tertiae diei illuxisset, major jam lux esse debuit, quia vapores illi densissimi magis jam rarefacti erant. Sed dies tertius coepit cum magna et terribili catastrophe, vi cujus montes et colles exsurgebant, fumus densus et vapores in altum ascendebant et atmosphaeram obfuscabant, et hinc forsitan *factum est vespere*. Similes catastrophee, ut jam innuimus superius, initio singulorum dierum creationis locum habuisse videntur, unde etiam in singulis videmus repetitum istud: *et factum est vespere*. Dissipata tali obscuritate fiebat *mane*. Hoc certum est, geologiae postulatum hoc esse, ut hujusmodi terrae revolutiones plures factae sint, quarum quaelibet quo recentior, eo terribilior et majoris extensionis fuerit. Inde illa memorata strata zoica et azoica, nec non recentia, atque tot carbonum strata sub terra, quae vegetationem primaeavam testantur vere magnam et admirabilem. *Ereb*, quod hebraice pro *vespere* positum est, commixtionem et confusionem, *boker* vero, *mane* scil., distinctionem significare proprie videtur, quod optime cum hac expositione convenit. (Ita Pianciani Cosmog.)

### Dies quartus.

#### XX.

*Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem,*

*et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, ut luceant in firmamento coeli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas. (v. 14—16.)*

Lux aderat jam inde a prima die, et ordinata lucis et tenebrarum successione dies et noctes formabantur. Qua in specie ratione hoc factum sit, ignoramus. Demum quarta die lux ad solem et astra, ut ita dicam, alligatur, atque ex eo tempore dies fit, orto sole, et nox eo occidente. Ad hoc enim *luminaria* ista in coelo collocata sunt, *ut dividant diem ac noctem.*

*Fecit itaque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas. Et posuit ea in firmamento coeli, ut lucerent super terram, et praeesent diei ac nocti, et dividerent lucem et tenebras. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies quartus (v. 16-19).* Non hac die Deus creavit solem, lunam et stellas, sed quum ab initio creavit Deus coelum et terram. Moses enim dicit: *Fiant luminaria*, non vero sol et stellae i. e. sol, qui prius jam aderat, et luna similiter cum stellis, *fiant nunc luminaria*, incipiant illuminare terram; prius enim, ut vult S. Ephraem, tenebris involvebatur terra, quia densi vapores et nubes illam operiebant;



quodsi non fuisset, terra a corporibus coelestibus jam inde a primo momento suae existentiae illuminata esset. Simile quid habet S. Thomas Aquinas. Marcelle de Serres putat, solem hac demum quarta die suam photosphaeram accepisse et lucem emittere coepisse. „*Acciocchè la luce*, ait Pianciani l. c. *giunga a noi dalle stelle nominate fisse, si richiedono anni, non già due o anche sei giorni di 24 ore, come altrove abbiamo accennato.*“ Si itaque die 4.to istae stellae lucebant super terram, jam diu ante existere debuerunt.

Observatio ista: *Et vidit Deus, quod esset bonum*, ut superius jam adnotatum fuit, innuit, orbes coelestes hac creationis die, saltem in quantum terram nostram respiciunt, fuisse jam omnino perfectos, quum terra ipsa ad suam omnimodam perfectionem adhuc alios duos dies debuerit percurrere. *Sint in signa et tempora*, hoc est, *in signa temporum*. Phrasis enim similis est illi Gen. III, 16. *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos*, id est, *aerumnas conceptuum tuorum*. Aut etiam Act. XXIII. 6. *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor*, hoc est, de spe resurrectionis mortuorum. Item Act. XIV, 12. *Sacerdos Jovis tauros et coronas afferens*, scil. tauros coronatos. Similiter in profanis scriptoribus, Virgilius: *Molemque et montes insuper altos imposuit*, id est, molem montium. Item: *Pateris libamus et auro*, h. e. aureis

pateris. In Lucano: *chalybem fraenosque mormordit*, i. e. fraenos chalybeos. Et Cicero Tuscul. *incendis odores et sertis redimiri jubebis et rosa*, scilicet, sertis roseis.

Quomodo porro sol et luna, atque stellae *in signa sint*, eventuum nimirum physicorum, et tempestatum, serenitatis, vel pluviae etc. optime norunt et simplices rustici, et nautae in mari, et nomades in desertis. Agricola considerat coelum, et observat lunam, ut sciat, quando arandum et seminandum sit, aut messis colligenda. Notum quoque adagium est:

*Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.* Ita Ecclci. XLIII, 7. *Luna ostensio temporis et signum aevi; a luna signum diei festi.* — „Ex luminaribus coeli accipitur significatio pluviosi temporis vel sereni, quae sunt apta diversis negotiis, et quantum ad hoc dicitur: *Ut sint in signa*“ (S. Thom. I. qu. 79. art. 2).

E situ stellarum et horas noctis, et loca, quo eis pergendum sit, et nautae, et deserticolae norunt. Lunae phases, uti notum est, mensibus et nomen, et durationem dederunt. Solis cursus annum signat. His provisum est chronologiae; his distinguuntur tempora anni.

*In tempora* vero, quod Moses *moadim* expressit, nos de festis imprimis temporibus intelligere oportet, hebraica enim vox hoc sonat: festa enim, ut quilibet scit, praecipue mobilia, a solis et lunae cursu et phasibus de-



pendebant et apud Judaeos in Veteri Foedere, et apud Christianos sub lege gratiae. Sicut enim in lege Mosis praeceptum erat, ut luna decima quarta mensis Nisan sub vesperam mactaretur, et comederetur agnus paschalis, decima quinta autem esset ipsum festum Paschatis, a quo dein Pentecoste dependebat: ita nos Christiani quotannis Pascha celebramus prima dominica post decimamquartam lunam mensis Martii, i. e. post plenilunium, quod post 21. Martii incidit primum; unde deinde reliqua festa mobilia per annum dependent. Ergo omnia haec innuunt astrorum destinationem *relate ad terram*; qualem secus habeant destinationem, et qualia proprie in se sint omnia ista diversa corpora coelestia, Moses ne verbo quidem nobis indicat, neque erat necesse, ut indicaret, si respiciamus scopum hujus hexaëmeri. In geogonia, aut exactius loquendo, in relatione, in qua nobis describit, quomodo Deus praeparaverit hominibus aptam et commodam habitationem in ista terra, stellae, et praeprimis sol et luna eatenus tantum locum inveniunt, quatenus terra ab eis illuminatur et calefit, atque vicissitudo diei, noctis, temporumque distinctio ab eis dependet.

Quia ergo astra tantum propter suam relationem ad terram, ergo etiam ad hominem, aliquam merentur attentionem, Moses ea etiam tum tantum memoravit, et memorare

potuit, quum ista relatio coepit. Hoc factum est die quarto.

## XXI.

Solent ridere hanc Mosis narrationem primo, dicentes, stultum esse credere, non prius, quam quarto creationis die solem, lunam, et stellas a Deo creatas fuisse, sicut haec Mosaica refert historia: quasi totum universum solius terrae causa adesset, et tamen, quid est terra comparata cum innumerabilibus stellis fixis, nisi punctum exiguum? — Secundo autem rident, quia sol vocatur luminare majus, et luna luminare minus, ambo autem *luminaria magna duo* dicuntur, quum tamen sol noster inter minores, ut volunt, stellas fixas locum habeat, luna vero quinquagies orbe nostro terrarum minor sit; nam ferme omnes stellae fixae immense superant solis magnitudinem.

Quod itaque primum attinet, opponimus: Verba sacrae Scripturae, qualia hic in Genesi legimus, nullatenus nos cogunt supponere, solem, lunam et stellas hac demum die creatas fuisse. Quin textui vis inferatur, intelligi possunt verba sic: veluti terra, ita et coelum ab initio creata sunt. Mox primo creationis momento et nostra terra, et sol, et stellae existere coeperunt. Ast sicut terra multas passa est evolutiones, multas mutationes, donec redacta est in formam, quam nunc habet:



ita etiam reliqui orbes coelestes similes experti sunt revolutiones et phases, donec tandem plene fuerunt efformati. Est enim etiam sol, ut supra jam observatum fuit, corpus opacum, terrae nostrae simile. Ergone incredibile erit, si dixerimus: A primo creationis momento sol cum stellis reliquis varias subibat mutationes et formationes, et tandem quarto creationis die plene fuit efformatus, ut hoc die coeperit beneficos suos radios in terram mittere, sicque ortu suo et occasu noctem et diem efformare? Aut, si magis placeat, concedamus, solem perfectum jam existisse ab initio creationis, aut saltem multo prius, quam nostram terram, et stellas similiter; sed terra nostra demum quarta die primos solis radios excepit, et stellarum lucem aspexit. Quia enim terra, ut volunt, calidissima erat, et multae aquae ejus vapores continuo emittebant, qui densas formabant nubes, e quibus similiter continui demittebantur imbres; quae evaporatio, formatio nubium, et inde demissae pluviae, quo magis terra temporis progressu refrigerabatur, eo rariores evadere debebant; tandem quarta die creationis tam rarefactae sunt nubes, ut radii solis ad terram usque valuerint penetrare.

Ergo sive primo modo, sive secundo res accipiatur, sive statuatur, utrumque locum habuisse; sol, luna, et stellae erant quoad nostram terram, quasi non essent; ex quo

tempore autem lucem terrae dare coeperunt, pro ea existere dicuntur.

Neque dicat quis: Mose dicente, *fiant luminaria*, innuitur *creatio* orbium coelestium die quarta. Quod enim latina translatio habet: *fiant luminaria*, in originali est *j'hi m'oroth*, hoc est, *sint luminaria*, quae phrasis omnino nostrae expositioni favet.

Quod vero attinet alteram objectionem, quod *duo luminaria magna* vocentur sol et luna, difficultas minor est. Scriptura enim, ut supra notavimus, non docet astronomiam, non geologiam, nec alias hujusmodi scientias et disciplinas, sed docet veritates religiosas; alias disciplinas eatenus tantum memorat, quatenus cum veritatibus religiosis connexae sunt, atque usu loquendi utitur communi, in hujusmodi consuetudo, et non exacte scientifico, quem soli eruditi capere possunt; utitur ergo usu loquendi, omnibus, etiam idiotis intelligibili. Jam vero sol, et luna, omnibus stellis coeli majores apparent hominum oculis, et ideo luminaria magna appellantur, quo nequaquam negatur, alia corpora coelestia esse posse, aut etiam revera esse, his multo majora. „*Sicut Chrysostomus dicit, dicuntur duo luminaria magna, non tam quantitate, quam efficacia et virtute. Quia etsi aliae stellae sint majores quantitate, quam luna, tamen effectus lunae magis sentitur in istis inferioribus, et etiam secundum sensum major apparet*“ (S. Thom.



Aq. I. qu. 70. art. 1. ad 4). Si enim ipsi astronomi aliquando loquuntur de ortu solis, ejusque occasu, quia oculis nostris videtur sol oriri et occidere, etsi de cetero doceant, firmiterque affirmant atque asserant, terram rotari circa solem, non vero solem circa terram: nonne licebit etiam Scripturae, solem et lunam appellare *duo luminaria magna*, quia nostris oculis videntur esse reliquis majora?

## Dies quintus.

### XXII.

*Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum. (v. 20. 21.)*

Semper magis appropinquamus tempori, quo terrae superficies aptum hominis domicilium efficitur. Plantae jam dudum aderant, e quibus multae, per frequentes terrae revolutiones in terra sepultae, vel petrefactae, si ita dicere possum, nunc hinc inde effodiuntur; aliae in carbonem fossilem redactae, non exiguum praestant nunc hominibus emolumentum. Ex immensis simul carbonum horum stratis

colligi potest, quanta fuerit illa primaeva vegetatio. Integrae enim ingentes silvae sub terra sepultae testantur, non exiguum temporis spatium tribui debere diebus creationis, verum eos fuisse longiores annorum periodos. Sol, luna, et stellae lucem suam beneficam etiam terrae jam communicabant, atque sol ortu suo et occasu dies noctesque efficiebat. Deinde creantur animalia, et primo quidem aquatica, et aves. Hoc quoque, ut superius jam observatum fuit, palaeontologorum indagations testantur, aquatica animalia omnibus aliis animantibus tempore fuisse priora.

Si verbis inhaereamus Vulgatae, credere possumus, aquatica animalia omnia, uti et aves, ex aquis producta fuisse, quia dicitur: *Producant aquae*. Sed in hebraeo originali est *jšrezu hamajim* id est, *scateant aquae* animalibus (es mögen die Wässer wimmeln), quod certe significat, non ex aquis producta animalia illa fuisse.

*Creavitque Deus cete grandia* etc. Verbum *bara*, quod versu primo aderat, hic iterum recurrit de animalium creatione adhibitum, innuens productionem quandam ex nihilo. Nam si etiam animalium corpora e terra sumpta fuerint, *vitam* tamen non terra eis subministrare poterat; vitae enim omnis auctor immediatus Deus dicendus est.

*Benedixitque eis, dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque*



*multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane, dies quintus. (V. 22, 23.)*

Sicuti plantis dedit Deus semen in semetipsis, sic et animalibus *benedixit*, atque facultatem generandi sui similia, sicque propagandi genus et speciem suam indidit. Voluit enim, ut sicut plantarum, sic etiam animalium genera, et species in terris conservarentur. Unde colligere possumus, et Faunam, et Floram praesentem ab illa primaeva originem ducere suam, saltem quoad maximam partem.

Porro haec benedictio, animantibus quinto die impertita, intelligenda est toti regno animali valere; quapropter sequenti die creationis sexto, quum terrestria animalia procreantur, non dicitur iterum: *Benedixitque eis* etc.

Si quidem verum est, terram a principio calidissimam fuisse, et sensim refrigeratam, quando plantae tertia die progerminabant, calor adhuc magnus esse debuit, qui calor una cum multo humore plurimum conferebat, ut plantae celeriter, et laete crescerent. Quinta die calor terrae in tantum imminutus fuit, ut animalia aquatica, et aves vivere potuerint, non vero, ut terrestria animalia eum ferre possent. Ultimo tandem, id est, sexto die possibilitas aderat, ut in arida quoque animalia vivere valuerint. Terram autem adhuc usque ad diluvium Noachi tempore multo cali-

diolem fuisse, quam nunc est, geologi arguunt ex animalibus climatum calidiorum, in nivibus et glaciibus borealibus Sibiriae etc. inventis, quae animalia aliquando ibi vivebant, ut putant, quia regiones illae tunc adhuc calidae erant. Subita autem quadam et repentina mutatione terrae, probabiliter tempore diluvii universalis, nivibus et glacie obruta animalia, antequam effugere possent, ibidem sepulta remanserunt.

*Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terrae juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terrae in genere suo. Et vidit Deus, quod esset bonum. (V. 24. 25.)*

Uti quarta dies, qua luminaria producta fuerunt, primae diei respondet, qua lux primum apparuit; et quinta dies, qua aquae repletæ fuerunt animalibus, et aër volatilibus, secundae respondet diei, qua aquae separari coeperant, et atmosphaera, ergo aër, terram circumdans, formabatur: ita sexta dies, qua terrestria animalia procreata fuerunt, tertiae pulchre respondet, qua arida terra primum apparuit, et vegetabilibus vestita fuit.

Animalium corpora omnia ex terra formata sunt, non aliter ac corpus primi hominis Adami, unde et mortua in terram iterum resolvuntur. — Dividit vero ea Moses, utique



non scientificè, ita tamen, ut cuilibet etiam maxime rudi homini intelligibilis fiat, in animalia domestica sive *jumenta*, in *repentia* et *serpentia*, et in *bestias terrae*, id est, animalia fera sive bruta. Hujusmodi animalium divisio etiam apud Latinos scriptores in usu fuit. Ita v. gr. Cicero (de Natura deor. II.): *Alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando*. Et (in Tuscul. qu. V): *Alias bestias nantes aquarum incolas (natura) voluit; alias volucres coelo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes*. — Quod additur: *Secundum species suas*, non determinatur, quot animalia uniuscujusque speciei fuerint creata; certo autem non minus, quam ad minimum unum par cujuslibet speciei, marem et foemellam. Immo quid impedit, quominus unius ejusdemque speciei animalium plura paria mox ab initio fuerint procreata? Quod et necessarium fuisse videtur, ut animalia rapacia carnivora sufficientem invenire potuerint cibum. Unde S. Augustinus in quodam sermone suo: *Numquid non multa simul terra produxit, et multiplicibus foetibus multa complevit? Ventum est ad hominem faciendum, et factus est unus; de uno genus humanum*. — De homine videlicet salva fide aliud credere et statuere non licet, quum Scriptura hoc expressis verbis doceat, ut inferius consideraturi sumus, ex uno homine totum genus humanum descendere. Quoad

animalia vero multa paria uniuscujusque speciei omnino assumenda sunt ob memoratam rationem. Quodsi enim ex. gr. ovis una cum uno ariete ab initio exstitisset, a lupo devorata ove, non potuisset species ejus conservari et propagari. Atque sic dicatur de ceteris.

## XXIV.

Creatis itaque jam omnibus, et sapientissime dispositis, quae enti rationali non solum necessaria, sed etiam utilia ac jucunda esse poterant, toti creationi Deus coronam imposuit, hominem creando, quod scriptura tali modo narrat: *Et ait (Deus): Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos.* (v. 26. 27.)

Primo observandum est in hac compendiosa relatione creationis primi hominis, quod Scriptura de ea alio modo loquatur, quam de creatione omnium aliarum rerum. Supra enim v. 3. stat: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* Sic quoque v. 6. *Fiat firmamentum.* v. 11. *Germinet terra.* v. 14. *Fiant luminaria.* v. 20. *Producant aquae reptile etc.* v. 24. *Producat terra animam viventem.* Ast, quum ad homi-



nem creandum venit, ait: *Faciamus hominem* etc. quò diverso loquendi modo jam insinuat praecellentiam hominis creandi prae omnibus reliquis creaturis. Egregie ad rem S. Gregorius Nyssenus (de opificio hominis cap. 3.): *Illud etiam, inquit, consideratione nostra dignum est, quòd, quum mundus hic talis ac tantus, omnesque ejus partes ad machinam universitatis rerum constituendam ordine congestae essent, nullo, ut ita dicam, negotio natura rerum a Deo creata sit, et continuo ad ejusdem natum extiterint. Ast hominis fabricationem deliberatio praecedat, et futuri operis ab artifice forma orationis pictura delineatur. Qualem videlicet hominem esse oporteat, qualisque exemplaris imaginem referre, quam ob rem creandus, et creati quae futurae sint actiones, quibus cum imperio sit praefecturus: de his igitur omnibus dispicitur, ut praestantiam homo dignitatemque suam obtineret, et prius etiam rerum universarum principatum consequeretur, quam ortus esset.*"

Sed iste pluralis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, non utique cum Hebraeis interpretibus intelligendus est de consilio, quod Deus creator cum angelis suis ineat, quasi ad eos sic fuerit locutus, et angelos hujus sui consilii participes et consortes assumpserit; sed est pluralis excellentiae, vel majestaticus, ut grammatici loquuntur, sicuti solent etiam personae majestaticae

in suis mandatis loqui, v. gr. *Nos Franciscus I. Imperator etc. mandamus etc.* Aut potius insinuatur plurali isto, ut Ss. Patres sentiunt, pluralitas personarum in Deo, sive mysterium Ss. Trinitatis. Sit pro omnibus S. Augustinus (de Civ. Dei lib. XVI. cap. 6.): *Poterat illud, inquit, quando factus est homo, de angelis intelligi, quod dictum est: Faciamus hominem, quia non dixit, faciam; sed quia sequitur, ad imaginem nostram, nec fas est credere, ad imaginem angelorum hominem factum; aut eandem esse imaginem angelorum et Dei; ideo recte illic intelligitur pluralitas Trinitatis. Quae tamen Trinitas, quia unus est Deus, etiam quum dixisset, faciamus: et fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei; non dixit, fecerunt dii, aut ad imaginem deorum.* Item Conf. XIII. 22. *Doces eum iam capacem videre Trinitatem unitatis, et unitatem Trinitatis: ideoque pluraliter dicto: **Faciamus hominem, singulariter tamen infertur: Et fecit Deus hominem; et pluraliter dicto: ad imaginem nostram, singulariter infertur — ad imaginem Dei.***

Sicut enim, quum in principio creavit Deus coelum et terram, omnes tres divinae personae operosae erant, ut supra consideravimus; ita etiam in creatione hominis, quem nonnulli *microcosmum*, hoc est, mundum in compendio appellant, omnes tres divinae personae iterum activae concurrunt.



*Ad imaginem et similitudinem nostram.*

Non corpus hominis ad Dei imaginem et similitudinem factum est; \*) Deus enim, spiritus purissimus et perfectissimus, corpus non habet, ad cuius imaginem primi hominis corpus formaretur. Imago ergo et similitudo Dei in anima humana quaerenda est, et consistit, ut communiter theologi docent, partim in dotibus naturalibus, partim in supernaturalibus et acquisitis. Anima enim hominis est spiri-

---

\*) De caetero verum est, quod et ipsi gentiles agnoverunt, externam quoque hominis formam innuere eum ad altiora natum et destinatum. Unde Ovidius *Metam.* I. canit:

*Pronaque cum spectent animalia caetera terram, Os homini sublime dedit, coelumque tueri. Jussit et erectos ad sidera tollere vultus. Sic modo quae fuerat rudis et sine imagine tellus, Induit ignotas hominum conversa figuras.* Item Seneca (*de otio sapient.* 22.): *Nec erexit tantummodo homines, inquit, sed etiam ad contemplationem factum, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime fuit illi caput.* Audiamus de hoc etiam S. Augustinum (*Quaest.* 9, 51.): *Corpus hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora non prorum in alvum prostratum est, cum sit visibile et ad intuentium coelum erectum, quod est principium visibilium, quamquam non sua sed animae praesentia vivere cognoscatur, tamen non modo quia est, sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum coelum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam caetera corpora animalium, factum jure videri potest.*

tus, immortalis, simplex, dotatus intellectu, memoria, et libero arbitrio, sicque Dei imaginem refert et similitudinem, qui est etiam spiritus, aeternus, ipsissima sapientia, omniscius, et summe liber. Ut taceam, in tribus dictis animae dotibus, sive potentiis animae humanae typum quasi eidem impressum esse sanctissimae Trinitatis. Et quatenus imago et similitudo Dei in hisce reponitur, haec imago Dei in homine nunquam penitus deleri potest.

Sed primus homo a Deo creatus fuit ad imaginem et similitudinem Dei etiam quatenus e manibus creatoris prodierat praeditus *originali justitia et sanctitate*, nec non *dono immortalitatis* quoad ipsum corpus suum; et tandem, quia *dominus* omnium rerum in terra constitutus erat. Et quatenus similitudo et imago Dei ex hac parte in homine consideratur, ipsa et amitti, et penitus deleri potest.

Immo sunt, qui imaginem et similitudinem Dei in homine in eo tantum reponant, quod homo constitutus sit dominus omnium rerum creaturarum in orbe. Et certe s. Joannes Chrysostomus (hom. 8. in Gen.) *Neque cum dicit: Faciamus, inquit, hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem, hic sermonem sistit; sed per ea, quae adjungit, palam nobis facit, quo sensu nomen imaginis posuerit. Quid enim dicit? Et dominantur piscibus maris, et volatilibus coeli, et omnibus reptilibus reptantibus super terram.*



*Imaginem ergo dixit secundum principatum et dominium, non secundum aliud quidpiam: etenim Deus fecit hominem principem omnium, quae sunt super terram, et nihil super terram homine majus est, sed omnia sub potestate illius sunt.* (cap. 3.) Verum ista sententia priorem non excludit, immo eam postulat et praesupponit. Quo enim modo homo omnibus creaturis irrationalibus in ista terra constitutis dominatur, nisi quatenus est ens rationale, habens animam immortalem, et ratione praeditam? Ideo etiam, tamquam perfectissima creatura Dei in terris, ultimus creatus est. In Hexaëmero enim observari potest progressio a minus perfecto ad magis perfectum; unde jure merito ultimo loco creatur homo tamquam supremus et perfectissimus inter creaturas visibiles. Praeterea homo stat medius inter creaturam spiritualem et materialem, quum *natura humana* sit, ut Concil. Later. IV. loquitur, *communis, ex spiritu et corpore constituta.* (Cap. 1.) Pulchre iterum S. Gregorius Nyssenus (l. c. cap. 2.) scribit: *Nondum ultimum illud et maximi pretii creatum, quod hominem dicimus, in hoc universitatis ornatissimo domicilio versabatur. Quippe consentaneum non erat, imperatorem existere prius, quam eos, quibus esset potestate praefuturus. Praeparato nimirum ante omnia imperio, tum deinde proximum erat designari. Idcir-*

*co universitatis hujus creator ei, qui imperaturus erat, quandam sedem regiam praeparavit.*

Aliqui interpretes notarunt, et *imaginem*, et *similitudinem Dei* a Sacra Scriptura hoc loco nominari ita, ut *imago Dei* denotet in ipsa anima a natura impressam Dei effigiem, si ita mihi loqui fas est; *similitudinem vero Dei* dependere a nostro libero arbitrio, ut nempe conemur semper magis in justitia et morum sanctitate proficere, atque ita Deo semper similiores reddamur.

## XXV.

*Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos. (V. 27.)*

Sicut illud: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, secundum Ss. Patres et catholicos interpretes innuit pluralitatem divinarum personarum, sive mysterium Ss. Trinitatis, uti ex allegatis S. Augustini verbis colligimus; ita, eodem S. Patre auctore, haec verba: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*, unitatem Dei designat.

Qua ratione porro Deus primum hominem creaverit, in sequenti capite secundo, versu septimo fusius describitur; et qua ratione eidem feminam adjunxerit, et quomodo eam formaverit, in eodem capite versibus 11. et 22. narratur.



Ratio enim, qua inter Hebraeos interpretes quidam, immo et nonnulli antiquiores et recentiores philosophi, v. gr. Böhme, Oettinger, Bader, Pabst, Hamberger, Ennemoser etc., hunc Scripturae locum exponunt, nimirum primum hominem Adam fuisse *androgynum*, ideoque hic de eo tamquam de uno (*creavit Deus hominem — creavit illum*), et tamquam de duobus (*masculum et feminam creavit eos*) sermonem fieri, manifeste ostendit, quod *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (Rom. I. 21.). Secundum istos enim interpretes Evae creatio nil aliud fuit, quam separatio duorum sexuum, qui ambo in primo homine ab initio fuissent. Quid erat, secundum horum assertionem, primus homo, profectus e Dei ipsius manibus, quam *monstrum informe*? Cujus piaes aures talem sententiam ferre possunt? — Hominem a Deo creatum, non fuisse androgynum, sacra Scriptura jam satis clare innuit, quando ita loquitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos*. Si enim dixisset: *Masculum et feminam creavit eum*, posset adhuc cogitari, *androgynum* fuisse primum a Deo procreatum hominem; dicendo vero: *Masculum et feminam creavit eos*, duos, non unum cogitare debemus. *Propter unitatem conjunctionis*, scribit s. Augustinus, *fecit Deus hominem ad imaginem suam...*

*Rursum, ne quisquam arbitraretur, ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant; ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cum id, quod hic breviter dictum est, diligentius coeperit explicari: et ideo pluralem numerum continuo subiecit, dicens: Fecit eos, et benedixit eis, (De Gen. ad lit. III. cap. 22. nro. 34.) — Praeterea in hac Scripturae sententia: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam* etc. vocabulum homo nomen potius generis est, quam individui, mox enim de eo in plurali loquitur numero.*

Itaque hac exponendi ratione, qua homo androgynus intelligendus esset in isto loco, omnino reprobata et rejecta, dicimus, *singulari numero*, quem s. Scriptura hic adhibet, *unitatem generis humani; plurali vero numero ejus multipliciter denotari, seu clarius: ab uno homine omnes homines descendere.*

A Deo unum tantum par hominum, unum scilicet virum, et unam feminam, creatum, non istud primum Geneseos caput, sed proprie caput sequens secundum docet.

## XXVI.

Et certe, si quaeramus, quae sit mens s. Scripturae circa hanc quaestionem, inveni-



mus: omnes homines, quotquot vixerunt usque ad cataclysmum universalem, a primo hominum pari, Adam et Eva, originem traxisse, qui in diluvio perierunt, solo Noacho cum sua familia superstite, a quo deinde omnes populi, omnes gentes, omnes nationes descendunt (Gen. IV. IX) Et certe *Adam vocavit nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium* (Gen. III. 20.), atque ille, qui primus formatus est a Deo homo, dicitur *pater orbis terrarum* (Sap. X, 1.) Novum Testamentum istud idem expressis docet verbis, ut: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. V, 12.) Omnes peccaverunt in uno primo homine, quia omnes ab eo descendunt. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, (1. Cor. XV. 22.) et, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt (2. Cor. V. 14.).* Et s. Paulus in sermone, quem Athenis in Areopago habuit: *Fecitque (Deus) inquit, ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* (Act. XVII. 26.).

De unitate ergo generis humani S. Scriptura testimonium fert luculentissimum, ita ut illi tantum, qui omnem fidem abdicarunt, aliter sentire possint. Et istud in primis est, quod nostra aetate impugnatur ab incre-

dulis omnis generis, et huc videtur tendere etiam recens nata craniologia. Quomodo enim, ajunt, possibile est, ut nigri, albi, rufi et flavi homines omnes a communi patre descendant, quum experientia doceat, a nigris parentibus nasci tantum nigros, ab albis albos etc.? Quot enim hominum varietates, a Gallis „raçes“ dictae, distinguuntur, tot sunt diversae hominum species, atque unaquaeque hominum species suum proprium protoparentem sibi vindicat. Genus enim in species, species in individua dividitur. Genus humanum habet similiter suas varias species, quae in sua abeunt individua. Talis est ergo ista nova doctrina, Verbo Dei e diametro opposita, saeculis antelapsis inaudita. Operae pretium est ergo, ut illam attentius consideremus, ejusque falsitatem ostendamus.

Dari homines albos, nigros, flavos, rufos etc. omnes novimus, sed numquid ideo omnes istae hominum varietates sunt dicendae diversae hominum species? Quid enim est sub specie intelligendum? Quum in speciei animantium definitione dissentiant naturalis historiae professores, in hoc uno tamen conveniunt, animalia, quae copulata, sibi similia talia generant, quae valeant et ipsa generare, unius ejusdemque esse speciei. Diversae enim speciei animalia ad coitum admissa vel omnino non generant, vel quod sic generatur, caret facultate alia sibi similia individua



generandi, sicuti v. c. videmus mulos et burdones. Aut si rarus eveniat casus, ut tale animal procreatum ab animalibus diversarum specierum generandi habeat facultatem, tamen in tertia generatione penitus desinit; quum a genitoribus ejusdem speciei descendencia habeant semper et ipsa facultatem generandi.

Posita hac veritate, audacter asserimus, *omnes homines*, quantumcumque varii exterius appareant, tamen *unam tantum speciem efficere*. Multiplici enim experientia teste, homines albi et nigri copulati generant prolem, quae habet et ipsa facultatem sui similes generandi, neque in eis haec generandi potentia minuitur, nec cessat aliquando. Istud idem valet, si albi coloris homo coit cum muliere rufa, flava, vel cujuscumque demum alius coloris seu formae externae. Hoc tam manifestum est, ut nemo adhuc tam perfrictae frontis inventus sit, qui factum hoc negare auderet. Quomodo tamen urgere possunt, non unam, sed diversas distingui debere hominum species? Quodsi una tantum hominum species retineri debet, etiam admittere cogentur saltem *possibilitatem*, quod omnes homines ab uno pari originem trahant. Canum ex. gr. varietates, „*raçes*“ dictae, multo plures dantur, quam hominum, et tamen concedunt, omnes descendere potuisse ab unico pari, et canes omnes, etsi tam varii videantur, unam eandemque speciem efformare. Quod de ca-

nibus valet, quare de hominibus valere non concedetur?

Sed unde tot varietates, tam varii imprimis colores hominum, si omnes sunt ejusdem speciei, et omnes ab uno pari derivandi sunt? Et unde sunt, interrogamus, tot varietates in canibus? Dicendum certe est, aliquando, cum tota natura juvenili adhuc vigeret robore, etiam singularem eidem infuisse potentiam, stabiles varietates progignendi, magisque, quam nunc: hodiedum enim saltem ita efficacem hanc potentiam amplius non habet. Accedunt: varium clima, varius cibus, variae occupationes, et diversissima alia adjuncta et circumstantiae, quae tantum exercuerunt in homines influxum, ut tot hominum varietates in lucem prodierint.

Si ergo omnes homines unam tantum speciem efformant, possibile etiam dici debet, omnes ab uno descendere; et quod scientia tantum possibile esse admittere debet\*), ac-

---

\*) Piaciani saepe laudatus, qui in sua *Cosmogonia comparata col Genesi* hanc quoque quaestionem pertractat, illam hoc modo concludit: *Le scienze naturali confermano l'unità della specie umana, e che perciò, senza fisica ripugnanza, si può tutta derivarla dagli stessi progenitori. Le osservazioni naturali non possono dimostrare il fatto, ma non valgono ad impugnarlo: e ciò basta.* (Pag. 460.).



cedente testimonio verbi Dei infallibilis, rem re vera ita se habere, certissimum evadit.

Sed quid multa? illi quidem, qui vellent demonstrare, homines a diversis descendere proparentibus, propter tot hominum varietates observatas; illi iidem, inquam, applaudunt ambabus manibus curiosae Darwinii theoriae, vi cujus primus omnium hominum parens fuerit pithecus. Risum teneatis!

## XXVII.

In versibus 26. et 27. primi Geneseos capitis compendiose narratur creatio primorum hominum. In capite secundo vero, versu 7. primi hominis creatio refertur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem;* vel sine tam crasso anthropomorphismo diceremus: Deus efformavit e materia jam existente, nimirum e terra, corpus humanum, isti corpori ita efformato addidit animam, et tribuit ei hoc modo vitam. — Anima itaque est, quae e terra plasmatum corpus vivificat, anima est, ut dogmatici loquuntur, *forma corporis*, et quidem ipsa est *unica et immediata forma corporis*.

Dicitur vero anima in hoc loco in originali *nišmáth chajim*, quod Vulgata reddit *spiraculum vitae*, et quod nos dicimus *spiritus vitalis*, quod revera etiam in Sap. XV,

11. ita appellatur, graece *pneuma zoicon*. Haec phrasis vero non necessario animam immortalem significat, quia haec eadem phrasis in Gen. VII, 22. etiam de animalibus adhibita est. Unde S. Augustinus: *Et animam viventem, ait, et spiritum vitae etiam in pecoribus invenimus, sicut loqui divina Scriptura consuevit.* (De lis. Dei. lib. XIII, c. 24.).

Istum spiritum vitalem autem in homine esse essentialiter diversum a spiritu vitali animalium, non quidem in hoc loco, sed alibi Moses ad sufficientiam ostendit, quando nimirum hominem refert ad Dei imaginem creatum, et dominum constitutum omnium visibilium creaturarum orbis hujus terraquei, quae imago, ut supra consideravimus, tantum in anima hominis esse potest; porro, quando Deus homini praeceptum dat, et quando animalibus ad se adductis nomina indit. Haec omnia, attente considerata, satis superque ostendunt, hominem multo excellentiorem omnibus ceteris animalibus esse, praeditum intelligentia et libero arbitrio, uno verbo, sublimius et excellentius vitae principium in eo esse, quam in quocumque animali.

Creato vero primo homine dixit Deus: *Non est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.* (Gen. II, 18). Non enim ad hoc factus erat homo, ut solus maneret; indigebat adhuc adjutorio, alio sibi



simili ente, eique conveniente. Ideo adduxit Deus ad Adam omnia animalia, quibus homo nomina imponebat, simul autem etiam cognovit, se esse essentialiter diversum ab omnibus animantibus, neque inter ea inveniri ullum individuum, quod societatem cum eo inire posset. Ideo Deus, immisso sopore in Adam, ex una costa Adami mulierem efformavit, eique associavit. Hanc quum conspexisset Adam, exclamavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (ibid. v. 23.)

Atque hic demum: *benedixit illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* (v. 28).

Potentiam tribuit Deus hominibus generatione propagandi genus suum, instituit matrimonium, cujus finis principalis est generatio et educatio prolis, nec non mutuum auxilium. Dominium eis etiam concedit in omnia animantia, quod dominium in statu innocentiae hominis etiam perfectum fuit.

Verum hic iterum acatholici insurgunt dicentes: En divinum mandatum: *Crescite et multiplicamini!* Quare vos catholici vitam coelibem commendatis, et certis vitae statibus injungitis, transgredientes istud praeceptum? Sic argumentabatur olim infelix Joannes Ron-

ge, quum novam errantium sectam introduceret.

Sed haec eadem verba dicitur Deus protulisse etiam supra v. 22. ubi de piscibus et avibus, entibus ratione carentibus agitur: *Benedixitque eis dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram.* Numquid Deus his verbis praeceptum dedit piscibus et avibus, ut crescerent et multiplicarentur? Suntne animalia irrationalia praeceptorum capacia? Quis sanus hoc asseret? — Verba ergo haec nil aliud expriment, quam potentiam eis a creatore inditam, sui similia generandi, et speciem suam conservandi. — Si itaque v. 22. non praeceptum divinum continetur, consequenter neque v. 28., in quo eadem verba hominibus dicuntur, praeceptum vere tale contineri potest.

Et si concederetur quoque, illis verbis praeceptum vere tale contineri, tunc praeceptum istud ligat totum genus qua tale, non vero singula individua in specie. Et certe inter Sanctos Veteris Testamenti jam Elias propheta, fors etiam Elisaeus, certe vero propheta Jeremias a matrimonio abstinuerunt. Quomodo autem potuerunt hoc facere, transgrediendo mandatum Dei? — Et Christus ait: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum.* Et S. Paulus consilium dat, *servare virginem suam.* Quomodo potue-



runt hoc facere, si strictum Dei praeceptum omnes homines obligat ad amplectendum statum matrimonialem?

## XXVIII.

*Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semet ipsis se-mentem generis sui, ut sint vobis in escam; et cunctis animantibus terrae, omnique volucris coeli, et universis, quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. (v. 29. 30).*

His verbis benignissimus Creator assignat alimenta et hominibus, et cunctis animantibus terrae, desumenda e regno vegetabili. Etiam Ovidius *Metam.* l. XV. homines primitus e vegetabilibus tantum alimenta sibi parasse dicit:

*At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,  
Fructibus arboreis, et quas humus educat herbis  
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore..*

Similia habent Dicaearchus, Porphyrius, et Plutarchus. Sed hic movent quaestionem: Verene omnia animalia una cum hominibus alimenta e regno vegetabili, et ex eo tantum petebant? Ergone non existebant tunc animalia rapacia, carnivora? Estne verum, quod mors demum post hominis lapsum in mundum intravit? In reliquiis animalium petrefactis

ex internis terrae effossis, quae ante hominis creationem in terra vivebant, manifestissima documenta inveniuntur, ajunt, etiam tunc animalia carnivora exstitisse, animalia ab animalibus vorata fuisse, ergo mortem in mundo etiam ante hominem dominium suum exercuisse. Ita Oersted, Carolus Vogt, Hartpole Lecky, Frohschammer, et alii.

Respondemus: Quod attinet homines, res non est perfecte clara, sumpserintne cibum suum tantum vegetabilem, an vero jam carnes manducaverint, quum in utramque partem disputetur, et penitus evincentia argumenta neutra pars proferre valeat. Primi homines, ut videtur, non habebant aliud nutrimentum, quam herbas, seminā, fructus, quibus ad summum adhuc lac animalium addebant. Talis erat eorum cibus ante lapsum, talis debebat esse eorum cibus etiam post lapsum. Manifestum enim est, in hoc loco Geneseos vegetabile tantum regnum homini assignari in cibum, et immediate post lapsum legimus Deum homini dixisse: *Comedes herbam terrae.* (Gen. III, 18). Nec nisi post diluvium tandem dicitur Noacho ejusque familiae: *Omne, quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia* (Gen. IX, 3). Quasi diceret: Hucusque licitum vobis erat manducare id tantum, quod terra producit, quod regnum vegetabile subministrat; exinde autem, et omni futuro tem-



pore tradidi vobis omnia in cibum, etiam carnes animalium quorumcumque, ut licite inde manducetis.

Et hoc Dei praeceptum, de manducandis tantum vegetabilibus (nam *praeceptum* Dei utique dicendum est, quum verbis illis conceptum sit: *Comedes* (alii hebr. reddunt: *Comedas herbam terrae*) absque dubio primi nostri parentes, omnesque eorum pii posterii ante diluvium sancte observasse credendi sunt. Sicuti vero nunc videmus in ecclesia fieri, ut ecclesiasticum abstinentiae praeceptum certis diebus obligans christianos, pii et boni homines exacte observent, suae salutis incurii autem temere transgrediantur: ita ante diluvium pii homines sine dubio Dei praeceptum quoad ciborum selectum conscientiose observabant, impii vero Caini posterii, ut in aliis rebus majoris momenti, ita etiam in hoc praecepto divino Deo minime fuerunt obsequentes; hinc esus carniū ante diluvium jam fuit introductus inter illos. Hoc modo enim, ut patet, ambae sententiae facillime conciliantur.

## XXIX.

Sed, ut hominibus, ita *et cunctis animalibus terrae* Deus cibum ex regno vegetabili assignat. Ergone nullum animal tunc carnivorum erat? — Sic quidem aliqui inter-

pretes putant, animalia fera, quae tantum de rapina vivunt, et carnibus aliorum animalium vescuntur, ante hominis lapsum pacifice cum omnibus reliquis animalibus vixisse, et alimenta sibi e regno vegetabili petiisse, eo modo, quo Isaias propheta rem describit: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hoedo accubabit; vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur..... Vitulus, et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum; et leo quasi bos comedet paleas..... Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo.* (Isa. XI. 6-9 cfr. LXV, 15). — Per primum hominis peccatum vero, ajunt, ista aurea aetas, cujus memoria plus minusve obscurata inter omnes antiquas gentes conservabatur, de repente disparuit, prior pax et tranquillitas turbata fuit, multa animalia, prius mansueta, nunc fera evaserunt, et carnibus aliorum vesci coeperunt; totamque creaturam in deterius mutatam fuisse, et illud evenisse, quod s. Paulus describit, dicens: *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque modo etc.* (Rom. VIII, 19-22).

Attamen ista sententia nimium audax di-



cenda est, immo S. Thomas Aquinas omnino *irrationabilem* illam appellat. Haec enim sunt ejus verba :

*Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod animalia, quae nunc sunt ferocia, et occidunt alia animalia, in statu illo fuissent mansueta, non solum circa hominem, sed etiam circa animalia. „Sed hoc est omnino irrationabile.“ Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata, ut quibus nunc naturale est comedere aliorum carnes, tunc vixissent de herbis, sicut leones, et falcones (Prim. q. 96. art. 1. ad 2.) S. Augustinus non satis certus est, cui sententiae adstipuletur, ita enim scribit: Si beatitudinem loci illius (i. e. paradisi) christiano cogitaretur affectu, nec bestias ibi morituras fuisse crederetis, sicut nec saevituras, sed hominibus mirabili mansuetudine subditas, nec pastum de alternis mortibus quaesituras, sed communia, sicut scriptum est, cum hominibus alimenta sumpturas. Aut, si eas ultima senecta dissolveret, ut sola ibi natura humana vitam possideret aeternam, cur non credamus, quod auferrentur de paradiso moriturae, vel inde sensu imminentis mortis exirent, ne mors cuiquam viventi in loco vitae illius eveniret?*

Multo igitur probabilior, ni unice vera, ergo amplectenda sententia est saniorum S. Scripturae interpretum, secundum quos, uti post Adae lapsum, ita etiam antea carnivora

animalia discerpebant et vorabant alia. Quod autem in nostro loco regnum vegetabile *cunctis animantibus* in cibum destinatur, ita intelligendum esse apparet, quod sine vegetabilibus regnum animale omnino non potest subsistere. Plurima enim pars animalium e regno vegetabili tantum sibi cibum quaerit et sumit; porro horum animalium carnibus vescuntur rapacia, carnivora animalia. Ita ergo etiam carnivora animalia sine plantis non subsisterent, quia non invenirent animalia, quorum carnes vorare possent. *Cuncta* ergo *animalia* e regno vivunt vegetabili, alia scilicet mediate, uti e. gr. tigres, leones, leopardi, aquilae, et similia: alia vero immediate, uti ex. gr. oves, boves, caprae, equi, asini, cameli etc.

Secundum exposita itaque concedimus, jam ante hominis lapsum animalia rapacia existisse, mortem jam in hoc mundo fuisse, animalia ab animalibus discerpta, et devorata mortem appetiisse. Ideo vero non sumus in contradictione ulla cum s. Scriptura, ne minima quidem, quae docet: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum* (Sap. I. 13.) *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (ib. II, 24.) i. e. quum diabolus invidens primo homini felicitatem, eundem ad peccatum seduxit, tunc demum mors in hoc mundo dominari coepit. Quia s. Scriptura in his, aliisque similibus locis



de homine loquitur, non de animalibus reliquis. Non cogimur itaque renunciare dogmati christiano-catholico de primo Adami peccato ejusque tristissimis consecrariis. Quum s. Scriptura docet, per Adami peccatum mortem in mundum venisse, manifeste hoc docet, hominem per peccatum amisisse specialem illam praerogativam, sive, si melius placeat, illud privilegium immortalitatis sui corporis, quod non erat donum naturale, sed supernaturale. Hominem mortuum non fuisse nisi Adam peccasset, est doctrina s. Scripturae; nullibi autem docet Scriptura, etiam reliquis animalibus impassibilitatem, et immortalitatem concessam fuisse.

Quodsi vero Frohschammer asserit: „si in animalibus mala physica et mors a principio dominabantur, etiam homines non poterant esse exempti ab ista lege naturae, qui eadem elementa, uti animalia, atque easdem chemicas, physicales et organicas leges et vires in se portabant“; nec non, quod „secundum postulatum scientiarum naturalium nil aliud restet, nisi ut renuntiemus superstitionis credulitati, fideique in verba Scripturae, et credamus, etiam hominem mox ab initio, ergo etiam ante quam peccavit, doloribus, morbis, et ipsi morti fuisse obnoxium.“ — Nos ad haec deliria (non enim aliud nomen merentur) respondemus, totum hoc omnino gratis affirmari; nulla enim scientia de-

monstrare umquam poterit, corpus humanum, naturaliter quidem doloris, resolutionis et mortis capax, non potuisse singulari divino dono praeservari ab omni infirmitate, et a morte. Aut *numquid abbreviata est manus Domini?* (Isa. L. 2.). An non potest omne id facere, quod vult?

## XXX.

*Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere, et mane, dies sextus.* (v. 31.)

Cum hominis creatione, maris scilicet et feminae, series creationum divinarum concluditur, atque creatio, qua totum, completa est. Sexto die itaque, ut vidimus, et animalia terrestria producta fuerunt, et primus homo formatus atque in paradiso constitutus, *ut operaretur et custodiret illum* (Gen. II, 15.) et animalia coram Adam adducta, quibus homo nomina imposuit, et e dormientis Adae costa formata mulier Eva. Haec omnia intra spatium 24 horarum reponi non possunt: dies ergo etiam sextus longior periodus dicenda est.

Post singula objecta a Deo creata aut producta, adnotatum est: *Et vidit Deus, quod esset bonum*, id est, ideae divinae omnino respondens, et aptum fini, pro quo, vel in quem singulae res fuerunt productae. Fi-



nita vero creatione, omnibusque sapientissime dispositis, dicit: *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*; hoc est, non tantum singulae res separatim consideratae bonae erant, sed etiam consideratae in connexionione cum omnibus aliis rebus creatis; unaquaeque earum erat in pulcherrima harmonia cum omnibus reliquis, atque testimonium ferebat admirabilis sapientiae Creatoris. Pulcherrime in hunc locum S. Augustinus, uti solet, et ingeniose ita scribit: *Et vidisti Deus omnia quae fecisti, et ecce bona sunt valde; quia et nos vidimus ea, et ecce, omnia bona valde. In singulis generibus operum tuorum, cum dixisses, ut fierent, et facta essent: illud atque illud vidisti, quia bonum est. Sexies numeravi scriptum esse, te vidisse, quia bonum est, quod fecisti: et hoc septimum est, quia vidisti omnia, quae fecisti, et ecce, non solum bona, sed etiam valde bona, tamquam simul omnia. Nam singula tantum bona erant, simul autem omnia et bona et valde. Hoc modo dicuntur etiam quaeque pulchra corpora: quia longe multo pulchrius est corpus, quod ex membris omnibus constat, quam ipsa membra singula: quorum ordinatissimo conventu completur universum, quamvis et illa etiam singulatim pulchra sint.* (Confess. lib. XIII, cap. 28.).

Similiter de Gen. contra Manich. I, 21. loquitur: *Quum de singulis ageret, dicebat*

*tantum: Vidit Deus quia bonum est; quum autem de omnibus diceretur, parum fuit dici bona, nisi adderetur et valde. Si enim singula opera Dei, quum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiliter mensuras, et numeros, et ordines, in suo quoque genere constitutos, quanto magis omnia simul, i. e. ipsa universitas, quae istis singulis in unum collatis completur? Omnis enim pulchritudo, quae partibus constat, multo est laudabilior in toto, quam in partibus. Quia ergo videns Deus cuncta, quae fecerat, illa valde bona esse invenit, nihil in tota creatura mali inveniebatur. Unde etiam non possumus supponere, hominem eadem die sexta, qua creatus fuit, lapsum, sicuti sancti Ephraem, Epiphanius, et Jrenaeus volunt. Si enim ante finem sextae diei peccatum commisit, qua ratione dici poterat, quod Deus cuncta contemplatus, non obstante maximo malo, quod est peccatum, invenerit omnia valde bona?*

## DIES SEPTIMUS

### XXXI.

Narrata historia sex dierum creationis, ut eam concludat, et totam creationis hebdomadem impleat, prosequitur Moses: *Igitur perfecti sunt coeli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus*



*suum, quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* (Gen. II, 1-3.)

Verba deinde, quae immediate post haec sequuntur, videlicet: *Istae sunt generationes coeli et terrae* (v. 4.), juxta aliquos sunt quasi epiphonema et conclusio creationis historiae hucusque narratae; juxta alios vero inscriptio sequentis narrationis de creatione primi hominis ejusque vitae consortis. Verba itaque Scripturae recitata, et in principio secundi capituli posita, proprie caput praecedens primum concludere debuissent, et secundum caput inde demum a quarto versu incipere. Divisio nimirum ista in Capita non descendit a sacris Scriptoribus ipsis, sed demum saeculo 13.tio aerae christianae, ut vulgo creditur, ab Hugone cardinali a S. Caro, introducta, non tam argumentum respicit, quam potius commoditatem illorum, qui Scripturam citare, et quae ex Scriptura allegantur, facillimo negotio in Bibliis invenire volunt. Ideo praeter Capitulorum distinctionem, saeculo 16.to adhuc moderni versiculi capitulum, cifris arabicis signati introducti, atque omnibus probati sunt.

*Complevitque Deus die septimo opus suum, hoc est, compleverat.* Septimo enim die nil novi amplius creabat, ideo Samaritanus textus

cum versione Samaritana, Syriaca et Alexandrina legit: *Et complevit Deus „die sexto“ opus suum*; quod etiam nonnulli interpretes moderni probant.

Usque ad initium itaque septimi diei creator nova producebat, ipso vero septimo die cessavit, nec procreabat amplius nova, ideo dicitur septimo die *requievissse*; quod non ita intelligendum est, ac si Deus ex illo tempore inoperosus sit. *Pater meus*, agebat Jesus, *usque modo operatur* (Joan. V. 17.) scilicet, conservando universa, quae ab initio procreavit, eaque sapientissime gubernando.— Talem vero loquendi modum adhibuit Scriptura ideo, ut hominibus insinuaret, quid ipsis faciendum sit, scilicet: sex diebus operandum, septima cessandum a negotiis et occupationibus mundanis, et Dei cultui vacandum, atque curam salutis animae gerendam. Unde dicitur Deus *sanctificasse diem septimum*, consecrasset videlicet cultui Creatoris. Hinc etiam Hebraeis lege praeceptum erat, ut diem septimum, *sabbathum* sanctificarent, sicque ipso facto profiterentur fidem in Deum creatorem universorum. Nos vero, quia Christus redemptionis nostrae opus prima hebdomadis die consummavit, quae dies inde *Dominica* jam apostolorum aevo (Apoc. I, 10.) vocari coepit, sanctificando *Dominicam* regenerationis generis humani per Filium Dei perpetratae memoriam celebramus.



Sed attentus lector historiae creationis fors mirabitur, cur de unoquoque creationis die dictum sit: *Et factum est vespere et mane, dies unus, secundus, tertius* etc. de die septimo autem nihil tale dicatur. Sciat ergo, etiam hoc suam habere rationem. *Primo* enim, septima dies creationis semper adhuc perdurat, est enim dies requietionis Dei, id est, tempus, quo, ut paulo superius dictum fuit, a procreandis novis entibus abstinet, ab initio vero creata conservat et gubernat. Diei hujus septimi ergo vespera nondum advenit (cfr. *Lamy* Introd. in s. Script. Mechlin. 1867. P. II. pag. 39. *Pianciani* \*) pag. 467), sed post ipsius vesperae adventum succedet mane diei interminabilis, diei coelestis beatitudinis. Ita S. Augustinus (Conf. l. XIII. c. 36): *Dies autem septimus, ait, sine vespera est, nec habet occasum, quia sanctificasti eum ad permansionem sempiternam.... Sabbato vitae aeternae requiescamus in te etiam. Secundo* vero, quia sex creationis dies typus sunt et imago quaedam totius hujus temporis, quo vita humana decurrit inde a creatione Adami, usque ad consummationem saeculi; quod totum tempus Patres ad imitationem sex illorum dierum in sex mundi aetates dividunt. Septima vero dies typus est ultimae diei, sive

---

\*) „Sembra durare anche oggidì quella giornata.“

diei resurrectionis. Ad indicandum ergo, diem resurrectionis fore sine vespera, quia nunquam finem habitura est, ideo etiam septima dies creationis vespera caret, ut ejus typus esse possit. Confirmant hoc etiam isto modo: Quum Deus dixerit Adae: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. II. 17); peccato commisso autem 930 annos natus obiit (Gen. V, 5.), hoc est, *ante diei finem*, quia non attigit mille annos vitae. *Sunt autem mille anni dies unus*, ait S. Irenaeus. Simili modo loquitur s. Justinus in dial. cum Tryph. Etiam Lactantius (div. instit. I. VII. c. 14.). *Dies magnus Dei*, ait, *mille annorum circulo terminatur*.

Dies ergo septima, ut dictum est, nondum finita est, adhuc perdurat, durabitque usque ad saeculi consummationem; complectitur itaque plura jam annorum millia (hucusque jam circiter sex millia): consequenter etiam praecedentes sex creationis dies periodi sunt, plura annorum millia singuli complectentes.

*Pianciani* creationis hebdomadem septem periodos comprehendere ait, ut superius jam innuimus, atque secundum eum prima dies est *periodus lucis* (Lichtperiode) et ignis seu *chemicae conflagrationis* primorum elementorum; secunda dies vero est periodus atmosphaerae, firmamenti, et divisionis aquarum, sive ut ipse eam appellat, *periodus chrySTALLIZATIONIS*,



vel formationis corporum; tertia dies est *periodus vegetationis* (Vegetationsperiode); quarta dies est *periodus astrorum* (Sternperiode); quinta dies, *periodus animalium* (Periode des animalischen Lebens); tandem sexta dies est *periodus intelligentiae* (Periode der Intelligenz); quam sequitur septima dies, seu *periodus conservationis* rerum creaturarum (Pianciani Cosmog. pag. 470).

## C O N C L U S I O

### XXXII.

Proposueram ab initio, quum hasce *observationes biblico-geologicas* scribere inciperem, omnes quaestiones majoris momenti, quae inter theologos et naturalium rerum indagatores nostro aevo acriter agitantur, paucis saltem tangere, atque ostendere, nil proferri posse de iis, quae scientiae jam pro certis habent, quod cum effatis s. Scripturae vere pugnet. Quum vero historia creationis hoc modo considerata, in tantam jam molem excreverit, quae Folio periodico minus conveniat, hic interim finem impono discursui huic; alio tempore, si visum fuerit, et proficuum iudicatum, illum iterum suscepturus, atque reliquas adhuc quaestiones non paucas examinaturus et expensurus. Iste ergo discursus, etsi longior videri possit, tamen valde brevis est et restrictus, ubi cum objecto, de quo tractat, con-

feratur. Quaestiones enim tantum praecipuas, quae hodie vehementer agitari solent, breviter et summis, ut ita dicam, labiis tantum tactas, hic proposui; unde, ni fallor, saltem hoc benevolus lector intelligere poterit, nullam dari proprie talem contradictionem inter id, quod Scriptura divina de rerum primordiis docet, et inter id, quod scientiae imprimis geologia, palaeontologia, astronomia et anthropologia pro certis venditant.

*Et nobis quidem ipsis, dicam cum scriptore secundi libri Maccabaeorum, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, ut nempe in paucis foliis lector quasi in compendio haberet, quod alias in magnae molis libris fuse tractatur, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus (2. Macc. II. 27). Igitur in his pro interim faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut rei propositae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti, delectabile; ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus. (2. Macc. XV, 38-40.)*

---



# Prospectus

---

	Pag.
Prefatio.	
<i>Introductio.</i>	
1. Theologus non debet omnino negligere studia naturalia. Praecipui auctores, qui de mundi et hominis creatione scripserunt . . . . .	1-9
2. S. Scriptura docet veritatem. Liber Scripturae et liber naturae idem docent . . . . .	10-11
3. S. Scriptura occupatur veritatibus religionis; de natura loquitur tantum ad religionis veritates clarius proponendas; atque tunc non scientifice, sed ad communem captum hominum. Corollaria ex dictis . . . . .	12-14
4. Scientiae naturalis finis. Liber naturae ut plurimum liber signatus. Quaestio de rerum origine non spectat ad geologiam . . . . .	15-18
5. Fides et scientiae naturales non sibi opponuntur . . . . .	19-20
6. Momenta religiosa in historia creationis Mosaica . . . . .	21-24
7. <i>Explicatur Geneseos capituli primi versus primus.</i> In principio quid sit. Quid, creare. Quid Elohim . . . . .	25-29
8. Phrasis caelum et terra. An hic de angelorum creatione mentio fiat . . . . .	30-31
9. Materia non est aeterna. Quando fuerit principium. . . . .	32-34

	Pag.
10. Qualis fuerit terra primo creationis momento. Sententia S. Augustini, et Westermayeri atque aliorum. An ob angelorum lapsum prima creatio ever- sa fuerit . . . . .	35-39
11. Hypothesis Humboldti de mundi ori- gine . . . . .	40-41
12. <i>Explicatur versus secundus.</i> Thohu va bohu. Abyssus . . . . .	42-45
13. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Co- rollaria e dictis . . . . . <i>Dies primus.</i>	46-48
14. <i>Explicantur versus 3. et 4.</i> Quomodo Deus loquatur. Tota Ss. Trinitas in creatione operosa. Quid sit lux. Theo- ria vibrationis et emanationis. Lux da- tur sine sole. Sententia Piancianii de lucis productione . . . . .	49-53
15. Cur dicatur lux bona. Divisio lucis et tenebrarum, Unde sint nomina dies et nox. Initium primi diei. Quo anni tempore mundus creatus sit . . . . .	54-59
16. Quales fuerint dies creationis, quid <i>jom</i> Hebraeorum, mane et vespere. Cogni- tio vespertina et matutina . . . . .	60-64
<i>Dies secundus.</i>	
17. <i>Explicantur versus 6-8.</i> Firmamentum, coelum, aquae super firmamentum. Cur non sit additum: Et vidit Deus, quod esset bonum . . . . .	65-70
<i>Dies tertius.</i>	
18. <i>Explicantur versus 9-10.</i> Apparuit ari- da; causa hujus. Opera creationis, di- stinctionis, et ornatus . . . . .	71-74
19. <i>Explicantur versus 11-13.</i> Plantae pro- ducuntur. Quid exstiterit prius, ger-	



mina an semina. Consensio inter Scripturam et palaeontologos Plantae etiam sine sole crescere et prosperare poterant. Vespere et mane . . . . . 75-80

*Dies quartus.*

20. *Expomuntur versus 14-19.* Non hic demum sol et stellae creantur. Sint in signa et tempora . . . . . 81-85

21. Sol et luna jure dici possunt duo luminaria magna . . . . . 86-88

*Dies quintus.*

22. *Explicantur versus 20-23.* An aquae animalia aquatica et volatilia produxerint. Quid sit: Benedixit eis. Terra aliquando calidior . . . . . 89-91

*Dies sextus.*

23. *Explicantur versus 24-25.* Animalium divisio apud Mosen, et apud Classicos. Quot specierum singularum animalia fuerint creata . . . . . 92-93

24. *Explicatur versus 26.* Faciamus hominem. Deus non init consilium cum angelis. Imago et similitudo Dei in homine . . . . . 94-99

25. *Explicatur versus 27.* An fuerit primus homo androgynus . . . . . 100-101

26. Omnes homines ab uno descendunt; hoc Scriptura clare docet, neque scientia contrarium demonstrare valet . . . . . 102-106

27. Creatio viri, et foeminae. Spiraculum vitae. *Explicatur versus 28.* Omnes homines non tenentur generationi operam dare . . . . . 107-110

28. *Explicantur versus 29-30.* Alimentum hominum et animalium. An homines ante diluvium carnem comederint. . . . . 111-112



- |  | Pag.    |
|--|---------|
| 29. Quomodo vegetabilia cunctis animalibus<br>alimentum praebuerint. Mors jam ante<br>hominis lapsum in mundo. Sententia<br>Frohschammeri . . . . .  | 113-117 |
| 30. <i>Explicatur versus</i> 31. Omnia erant<br>valde bona . . . . .   | 118-119 |
| <i>Dies septimus.</i>  |         |
| 31. Explicantur Geneseos capitis secundi<br>versus 1-3. Divisio Scripturae in ca-<br>pita et versiculos. Deus requievit ab<br>opere suo; sanctificavit diem septi-<br>mum. Non additur solita clausa: Et<br>factum est vespere et mane, dies sep-<br>timus. Ratio hujus. Septem periodi<br>creationis secundum Piancianium . . . . . | 120-124 |
| 32. Conclusio . . . . .  | 125     |
-



## Errata corrige.

---

- In Praefatione pagina altera lin. 3. lege **in**.  
Pag. 4. lin. 13. lege **hujus**.  
" 40. lin. antepenultima lege **dicti**.  
lin. penultima lege **immensum**.  
" 78. lin. 4. lege **quaestione**.  
" 92. post lineam 10. inseratur titulus: **Dies**  
**sextus**. et numerus paragraphi **XXIII**.  
" 107. lin. penultima et ultima lege **spiritus**.
-

NARODNA IN UNIVERZITETNA  
KNJIŽNICA

COBISS



00000384402





NARODNA IN UNIVERZITETNA KNJIŽNICA

570 008

COBISS